SCHROEDER, P.G

Vol I

PHILIPPI GEORGII SCHROEDER

PH. ET MED. DOCTORIS, ARCHIATRI MAGNAE BRITANNIAE REGIS ET MEDICINAE IN ACADEMIA GOETTINGENSI PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII

OPVSCVLA MEDICA

ANTEHAC SEORSIM EDITA, NVNC VERO COLLECTA

STVDIO

IOANNIS CHRISTIANI GOTTL. ACKERMANN

MEDICINAE DOCTORIS.


Collecta Reuirescunt.

VOLVMEN I.



NORIMBERGAE
APVD IOH. GEORG. LOCHNER.
1778.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



LECTORI BENEVOLO

S. D.

IO. CHRISTIAN. GOTTL. ACKERMANN.

SCHROEDERI, Viri quondam Clarissimi opuscula medica, quae suis nuper sub auspiciis in academia Georgia Augusta edita sunt, — vnicas fere et satis venerabiles doctrinae, quae in hoc Viro summa erat, reliquias, et monumenta immortalia ut collecta, et in volumina quaedam congesta in lucem emitteremus, plures nos, eaeque haud leues rationes commouerunt. Siquidem libri academici minores paene omnes, in quibus de rebus medicis docte, apposite, et ad naturae exemplum, quod ajunt, expositum est, vel ob paruum libri volumen, vel etiam ob ipsam parcam exemplorum libri impressorum multitudinem sparsim tantum in manus hominum incidunt, dissipantur nimis, nec prolixum temporis spatium

intercedit, quin optimus quisque liber academicus tali modo e memoria plurimorum medicorum deleatur.

Eam forte ob caussam libelli academici, a SCHROEDERO quondam emissi, jam rarioribus subinde adnumerari consueuerant. Quaedam in primis dissertationes aut ab hoc Clarissimo Viro, aut ab aliis sub ejus auspiciis elaboratae rarissime prostant, et paucos ego noui librorum amatores, quibus collectio harum dissertationum integra est.

Altera ratio, eaque grauissima, quae nos ad hasce disputationes colligendas commouit atque impulit, in ipsa earum dignitate, inque grauitate rerum in iis pertractatarum posita est. Etenim omnia ea, quae a diligentissimo et acutissimo ingenio praedito Viro aut nouiter excogitata, aut recenter in medicina inuenta sunt, in iis solis continentur, quoniam SCHROEDERVS praeter eas alium librum nullum scripsit, eaque non nugas et fabulas, — non theorias et ratiocinia inania redolent, sed veritatem. Magna, praeclara ac vtilissima sunt, quibus ipsa medicina creuit et aucta est.

In

Incerta fuit ante SCHROEDERI aetatem (vt de praecipuis optimi Viri meritis tantum loquar) febrium diuiſio, et omnes fere aut ad putridas, aut ad eas quae cum inflammatione quadam conjunctae ſunt, aut ad malignas medici referebant. Gaſtricas aut meſentericas febres, ſiue bilioſas recentiorum raro medici accuſabant, quoniam earum indoles iis haud ſatis perſpecta ipſaque earum curatio nondum ſatis trita erat, nec tuta plane videbatur. Ipſi BRENDELIO non ſatis de hiſce febribus conſtitit. Amplum eſſe hoc febrium genus, et quam latiſſime patere SCHROEDERVS praeclare demonſtrauit, et medendi iis methodum a BALLONIO et BAGLIVIO excogitatam ac inuentam, a FRIDERICO HOFFMANNO aliisque vſu confirmatam iterum introduxit, et ſuis obſeruationibus ſtabilem ac conſtantem fecit.

Effloreſcentias in cute acutas, quarum decurſus ante ejus aetatem inprimis, ſi febrem cum iis conjunctam reſpicias, nondum tam accurate, vt ab ipſo factum eſt, expoſitus erat, praeſertim in varioloſo morbo rectius ordinauit, et febrium ſpecies, quae cum iis conjunctae



esse solent, accurate disposuit. Nouae primus methodi febres in suas ordines, classes, genera et species diuidendi, quae postea a SELLIO, V. Cl. dilatata et insigniter locupletata fuit, ac hodie jure maximo optima censetur, fundamenta jecit.

Vt summatim merita hujus Viri comprehendam, doctrinam de originibus et progressu febrium, de signis salutem aut mortem aegrotorum acutis febribus decumbentium praesagientibus, deque ipsa febribus bene ac feliciter medendi ratione egregie pertractauit, phrenitidis pathologiam ac therapiam nouis permultis inuentis auxit, morbumque a bile redundante et acriori oriri docuit, quem, solo BRENDELIO excepto, qui tamen in sua de phrenitide disputatione academica rem non satis fuse exposuit, medici ante ejus aetatem fere omnes pro summe inflammatorio habuerant. Longis quoque quibusdam morbis nouum lumen superfudit, dysenteriae, calculo, arthritidi, caet.

Argumenta sua praeclare pertractauit, omissis leuidensibus, et iis omnibus rebus, quae magis ad doctrinae vanam ostentationem, quam ad

ad ipſum argumentum vberius pertractandum pertinent. Nihil in diſputationibus, vel ab eo vel ſub ejus auſpiciis conſcriptis fere reperies, quod ſuperfluum, aut inutile, aut non coctum ſatis eſſet. Omnia ſtylo breui, ſatis eleganti ad HIPPOCRATIS magni morem ſcripta, et ex vbera propriarum obſeruationum penu depromta ſunt.

Omnes a Clariſſimo Viro conſcriptae, aut ſub auſpiciis ejus editae diſputationes duobus voluminibus continebuntur, quoniam craſſum forte nimis volumen euaſiſſet, ſi omnes vnico comprehendere placuiſſet. Ordinem in iis congerendis fere nullum ſeruauimus, veriti ne, ſi optimas quasque diſputationes, quas de febribus inprimis SCHROEDERVS conſcripſit, primo volumini inſeruiſſemus, alteri forte emtores deficerent.

Ignoſcent vero nobiliſſimi medici, qui quasdam harum diſputationum duce ac comite SCHROEDERO elaborarunt, aut praeceptoris ſui dogmata in iis expoſuerunt, aut proprio, quod ajunt, marte ſuas diſputationes conſcripſerunt, quod opuſcula ab ipſis elaborata



SCHROEDERO adſcripſiſſe viſus ſim. De quarundam auctore certe conſtat, de aliarum haud aeque. Omnes tamen doctrinam SCHROEDERI redolent, ac ſi ipſum ſcribendi genus reſpicias, omnes ab vnico tantum auctore conſcriptae eſſe videntur. Cujus rei ratio forte inde petenda eſt, quod aſſeclae Cl. Viri, ejus morem ſcribendi, ſtylum, doctrinam, et ingenium ſectari praeclare et omni opera contenderint. Forſan et, vt quoque de pluribus certe conſtat, vltimum laborem iis SCHROEDERVS impendit, easque limatiores edidit. Quas ob cauſſas nomen reſpondentis titulo cujusque diſputationis ſemper adjicere placuit. — Dabam *Zeulenrodae Variſc.* d. 21 menſ. Iul. 1778.



In



In hoc volumine continentur

I.

Ph. Georg. Schroeder dissertatio de frequentioribus febrium prodromis generalia quaedam proponens. Goett. 1765. Resp. *L. I. Hettling.*

II.

Ej. diss. de amplitudine generis febrium biliosarum. Goett. 1766. Resp. *F. L. May.*

III.

Ej. diss. exh. de pleuritidum partitione inprimis quoad febrium iis conjunctarum differentias analecta. Goett. 1769. Resp. *Fr. Cph. Ellert.*

IV.

Ej. diss. exh. venaesectionis in febribus instituendae praecipuas cautiones. Goett. 1771. Resp. *Io. F. Iungschulz de Roebern.*

V.

Ej. diss. de febribus erysipelatosis. Goett. 1771. Resp. *Bernh. de Ziegler.*



VI.

Ej. diff. fiſt. de indole ac ſede phrenitidis et paraphrenitidis analecta. Goett. 1765. Reſp. *C. H. Fein.*

VII.

Ej. diff. de haemorrhagia vteri. Goett. 1771. Reſp. *Io. Burgauer.*

VIII.

Ej. diff. fiſt. de dyſenteria analecta practica. Goett. 1768. Reſp. *A. Iul. Goetze.*

IX.

Ej. diff. de alienata bilis qualitate, vbi viridis eſt aluo excretorum aut vomitu rejectorum color. Goett. 1767. Reſp. *Io. M. Starck.*





I.

Differt. de frequentioribus febrium prodromis generalia quaedam proponens, publice propofita Goettingae d. 31. Menf. Octobr. 1765. Refp. LUDOV. JACOBO HETTLING, Hoyenfi.

§. I.

Etfi commodis aegrorum praecipue deftinatam omnes recte cenfeant medicinam, minime tamen ideo morbo certius laboraturos, etiam de molefta corporis affectione vixdum conqueftos, ejusdem auxilio nunquam indigere, quis facile afferuerit. Contingit aliquando, homines iis implicatos incommodis, vnde futuri etiam grauioris morbi fufpicio capi poffet, fola fauente naturae efficacia, falvos reddi, haud fubfecuto, qui metuebatur, morbo. Accidit praeterea nonnunquam, ita conftitutos, quibus nempe morbum praenunciare nonnullae moleftiae videantur, diaetae ratione, ad adfectionis fuae naturam compofita, ita praecaueri, vt nihil vel parum ipfo de morbo fubfequente experiantur. Sed nec ejusmodi deeffe exempla, ipfe rerum vfus edocet, in quibus, cum imminere morbum quendam graviorem figna praefentia declarent, etiam ftrictiffimae diaetae obfervatio ex voto

fecuri-

ſecuritatem praeſtare nequeat, ac ubi therapeuticae artis adiumentum quam maxime ſit neceſſarium. Et omnino conſociatis, ex utroque hoc ſalutari fonte hauſtis, medicorum conſiliis, naſcituros occupandi morbos aliquando locum dari, quum etiam non ſola praegreſſa procatarxis, una cum probabili corporis diatheſi, ſed peculiares quoque in homine obſeruabiles prodromi metum certiorem incutiant, haud valde rara confirmat experientia. Quamuis etiam ſubinde ſua in morbis abigendis jura natura ipſa ſeuerius poſtulare videatur, non ideo tamen quis dubitauerit, quin citior certiorque ſit, quae principiis obſiſtit, praeuiſaeue offenſioni occurrit, medela. Quare, quum in variis febrium generibus praecipua quaedam poteſtas, quae valetudinem hominum in diſcrimen frequenter adducere ſoleat, obſeruetur, ſingularem quoque in iisdem auertendis, quousque tuto et efficaciter id fieri queat, operam eſſe collocandam, nemo, qui inſignia ſanitatis momenta meditatus fuerit, ullo modo inficiabitur. Sed etiamſi hancce doctrinam, ſi accuratiorem, ad vſum ſatis accommodatam, et ſecundum inferiores febrium differentias probe definitam, deſideraueris, non exigua difficultate adhuc, per teſtimonia longe exercitatiorum, implicatam eſſe, meaque multo ampliorem poſtulare tractationem, cenſere poſſis: confiteri tamen omnino quoque fas erit, varia etiam generalia febrium praenuncia dari ſigna, quorum notitia minime ſua careat vtilitate,

te, neque tamen ita valde ſubactum vſu diuturno medici judicium requirere videtur, quam potius exploratam habere quemuis ipſo in prophylacticae artis exercitio plurimum expediat. Hoc ipſum penſitantes, non omnem plane operam nos perdituros fore, etiamſi modo aliquod vel ad nos ſolos commodum inde redundauerit, exiſtimauimus, ſi ſpecimen inaugurale profectuum exhibituri, quae praecipui nobis apparent momenti, quoad cognoſcenda frequentiorum febrium praeludia, et auertendas fauſtiori cum ſucceſſu illarum euolutiones, pro modulo virium, breui ſchediaſmate nunc exponere ſuſtineremus.

§. II.

Ipſius vero morbi, quem futurum conſideramus, abſolutiori definitioni condendae operam dare, noſtro ab inſtituto aeque nunc alienum cenſemus, ac in diuerſis quibuslibet cognitis ejusdem ſpeciebus diſtinguendis immorari. Neque opus fuerit indicia fuſe exponere, quibus initia febrium ab illarum prodromis et incrementis dignoſcenda ſint. Sufficiet hoc loco ſubmonuiſſe, etiam nos non dubitare, quin ab eo tempore *febris principium* conſtituendum ſit, quo algoris aliquis modus incidit, quemque pulſus febriles cum ſymptomatibus qualibuscunque, febris indoli reſpondentibus, inſequantur. Hinc *prodromos febrium*, quisque, vt arbitramur, nobiſcum dixerit affectiones cujuscunque

que generis, initium hocce febris praecedentes, atque hanc futuram aliqua cum probabilitate declarantes. Vt ipſa autem febris manifeſtius et minus interrupto molimine in coquenda morbi materie occupatae naturae effectus eſſe videtur; ſic illi prodromi plerumque optimae hujus medicatricis primos quaſi conatus ſiſtunt, quibus ad ſuum ſe parat negotium, ſenſimque noxias materies ipſam ad excitandam febrem efficaciores reddit. Aliam autem horum partem ex renixu cruditatis praeponderanti melius deriuaueris; iterumque aliam habendam hactenus exiſtimamus pro dubiae originis qualitatibus, ab integra valetudine alienis, atque vnice fere ſecundum experientiae accuratioris dictamina febrim praenunciantibus.

§. III.

Quo facilius autem ad vſum quodammodo accommodari febrium imminentium praeſagia queant, et quo minus ambigua ad occurrendum praeuiſo ancipiti malo praecepta cuidam appareant, ampliſſimi hujus morborum generis praecipuas differentias breuibus ante conſtituiſſe conueniet, quam ipſum ad propoſitum noſtrum propius accedamus. Minime vero diuiſioni receptae, ex typo et habitu interualli exacerbationum, ex conjunctis exanthematibus vel inflammationibus, aut ex aliis variis diſcrepantibus aegrorum conditionibus, quantumuis etiam illa ſit cognitu neceſſaria, locum hic eſſe exiſtimo, verum

verum potius altius illud febrium diſcrimen praeſertim nunc attentionem noſtram poſtulare videtur, quod variam naturae in deuincenda materia febrili agendi rationem, quodque aptitudinem humorum diuerſam ad coctiones admittendas, declarat. Primo equidem genere, noſtris aliisque compluribus in regionibus omnino frequentiori, latiſſimo ambitu omnes illas comprehendamus, quibuscum ſatis manifeſte alienata et corrupta humorum ad ventriculum et inteſtina delatorum, ac fere ſemper integrum per morbi decurſum eo confluentium, indoles, ſuis etiam cognoſcenda ſignis, ea ratione conjuncta reperitur, vt niſi exinde ipſa tota febris, quod ſumme nonnunquam probabile, pleraque tamen et grauiora quoque, ſyſtematis etiam neruoſi, ſymptomata, vel vnice vel quoad magnam partem, ortum ſuum nanciſcantur. Harum proprietas febrium eſt, quod imperfectas ad criſes pronae ſint, quod iis varii generis μεταπτώσεις facile incidant, quod frequentius metaſtaſes intercurrant ſuccedantque, ſiquidem et calor et pulſus velocitas et vrinae tinctura pro ratione ſymptomatum, humorumque prauitatis, minor, naturae poteſtatem in has febres debiliorem confirment. Atque hoc genus illud febrium eſt, cui deſcriptiones ab aliis ita dictarum meſentericarum ac inteſtinalium ſatis apte conueniunt, quodque plurimas bilioſas, putridas et malignas comprehendit. Quam inſignis harum febrium frequentia ſit, non dubitabit, qui exploran-

dis

dis praecordiorum adfectionibus et ventriculi aluique vitiis in decurſu febrium operam dederit, expertusque naturae aeque ac artis auxiliorum efficaciae fuerit ad illa mala directae, et fide digna principum artis obſeruata probe penſitare haud intermiſerit. Maximum autem diſcrimen haſce febres etiam intercedere, nemo certe, vel parum in diagnoſi verſatus, diffitebitur. Neque enim difficulter quis conceſſerit, in ipſius faciendae medicinae commoda conſtituendam quoque eſſe inteſtinalium iſtarum febrium differentiam, pro varia humorum corporis ad putredinem vergente conditione; pro diuerſa qualitate, copia et orgaſmo humorum, noxam praecipue praecordiis inferentium; pro varie morboſa viſcerum chylopoieſi imprimis inſeruientium affectione, etſi haec aliquando valde abſcondita ſit; pro diuerſo functionum, integritati reſtituendae fauentium, vigore; pro inaequali decurſus ab initio ad ἀκμὴν properatione; pro diſcrepante exacerbationum typo, et ſpatii intercalaris conditione; pro varie ſolemniori excretionum vel depoſitionum criticarum aut ſymptomaticarum ordine et modo; pro diuerſimode conjunctis catarrhis, horumue ſimulacris, aut inflammationibus, aut febris ingenio reſpondentibus exanthematibus. Et, ſi vlla noſtrae qualicunque experientiae ſit fides, aſſerere non dubitamus, per plurima febrium notiſſima diſcrimina ſuperioris hujus generis characteres ita diſtributos eſſe, vt medentium attentionem vbique poſtulent, a

non-

nonnullis equidem, veluti dyſentericis, petechialibus, miliaribus, et omnibus fere manifeſtius paroxyſmantibus, vix vnquam abſint; aliis vero cum plurimis, ſimplicibus nempe, inflammatione non ſtipatis, itidemque inflammatoriis et exanthematicis ſaepe conjuncti ſint.

§. IV.

Quamuis autem in ampliſſimo hoc febrium genere varia, et praeſertim quidem bilioſa et pituitoſa primarum viarum inquinamenta, vnde chyli officina corrumpatur, praecipuam ſiſtant conditionem, profundius tamen et in ipſis intimis viſcerum receſſibus illarum fere ſemper latere originem, omni plane dubio vacat. Vt enim minime facile breui poſt commiſſum in alimentis potulentisque errorem, niſi jam ſatis valida corporis diatheſis adfuerit, oriri obſeruantur, ſic perſaepe ex cauſſis, quae ab aliquo temporis longiori ſpatio, a pluribus diebus, aut potius hebdomadibus, humorum maſſae aliquam prauitatem conciliare poterant, viſceraque chylopoieſi inſeruientia propius quacunque ratione afficere ſolent, ſenſim quam veroſimillime videntur excitari. Neque aliud ſentire ſuadent paullatim auctae vel renouatae ad praecordia colluuies, pluribus nempe vicibus per decurſum morbi turgentes, etiamſi exoptatum a tempeſtiuo et rite indicato euacuante alleuamentum exoriatur. Idemque ipſum confirmant longe majora ſaepe commoda emeſeos,

quam ex praua indole aut copia ejectae materiei quis facile aeſtimauerit. Immo, qui ſollicite decurſum hujusmodi febris, juſtis quoque auxiliis leuatum, attenderit, ex facilitate ſuccedentium metaſtaſium criticarum, etiam tunc haud raro, vbi quae cocta ſint atque turgeant, moueri et expurgari haud intermiſſum fuerit, obſeruabilium, de ſordium colligendarum primo extra primas vias fonte, certius perſuadebitur. Praeterea tamen nequaquam dubitamus, quin ipſis hiſce ſordibus minime exigua ſit poteſtas humores adhuc in circulo conſtitutos inficiendi, corrumpendi, atque ſic iſtis in febribus mutua et reciproca totum corpus et praecordia in ſe inuicem agendi, ſibique nocendi, ſed etiam in valetudinis commoda ſubueniendi, polleant efficacia.

§. V.

Reliquae febres una claſſi omnes videntur comprehendi poſſe, cujus characteres oppoſiti ſint earum, quas modo adumbrare operam dedimus. In hisce nempe deſunt indicia colluuiei alicujus noxiae, ob viſcerum imi ventris et glandularum chylopoieſi proſpicientium corruptum ſecretionis officium, ad primarum viarum diuerticula delatae, vel deferendae, vnde febris ejusque complura ſymptomata produci potuerint. Benigna magis hujus febrium generis indoles, magis integer vitalium functionum vigor, minus laceſſitum neruoſum ſyſtema, eſt; iisque, pro ratione ſymptomatum, aeſtus major conjun-

junctus reperitur, quam in illis descripti intestinalium generis. Etiam solemnius est, sanguini e vena misso horum ardentius febrientium albidiorem, aequalisque coloris, phlogisticam insidere crustam. Ad crises praeterea perfectas, per sudores imprimis et vrinam contingentes, longe aptiores pronioresque hae febres reperiuntur, atque veriora deprehenduntur coctionum signa in vrinis, quarum quoque tinctura aestui accuratius respondet. Harum autem febrium characteres plurima quoque inter febrium genera distributos deprehendere satis manifeste licet, siquidem permulti sic laborent febribus acutis ordinariis vel simplicibus, similibusque, vero aliquo cum catarrho conjunctis, et exanthematicarum nonnullis, scarlatina, purpura, variolis et morbillis, dein quoque inflammatoriis, affecti. Febrium autem hujus generis origo certius quam prioris abscondita in profundiori corporis irritabili systemate latet. Haud insontia quidem hypochondria, affectosque horum neruos esse, vel ipsum frigus, et rigor vehemens, quo hae febres incipere solent, algoresque aut rigores per incrementum et prope vigorem saepe, pro varia specifica febris differentia, et secundum criticas quasdam perturbationes, obseruabiles, praetereaque ipse exacerbationum typus, et spasticae originis quaedam symptomata, non sine probabilitate confirmare videntur. Quod ipsum tamen non impedit, quin liberiorem humo-

rum per venae portarum ſyſtema progreſſum, et occulti in corpore principii actuoſi majorem efficacitatem hic animaduerti poſſe exiſtimemus.

§. VI.

Attentior obſeruatio non difficulter videtur declarare, aliquam etiam ſubinde permixtionem dari characterum vtriusque deſcriptae claſſis febrium in aegrotantibus. Et niſi nos maxime fallit ipſe rerum in artis exercitio qualiscunque vſus, inſigne quantum praeſidii ad felicius medendum febribus hac in diagnoſi latet, vtrum indole mere inflammatoriarum vel bilioſarum, tuncque vel ſimplicium vel ſimul putridarum, vel malignarum, conſpicuae ſint, an vero inflammatoria conditio cum aliqua ex reliquis febre conjuncta reperiatur. Multoque latius ea febrium diſcrimina, horumque in vno eodemque aegrotante permixtiones ſecundum obſeruata patere videntur, quam ſaepe traditum animaduerſumque legimus. Indeque diſſidia medentium, quoad noxas commodaue ſanguinis miſſionum et catharticorum, fluxaeque ſponte vel retentae alui, certis in morborum generibus obſeruari ſolita, facilius haud raro componas, ſiquidem inflammatoriae, catarrhales, exanthematicarum nonnullae, quae omnes ſuis, a parte affecta, et ab externa ſpecie, nominibus, diſtinguuntur, non ad alterutrum tantum genus febrium pertinere, verum de vtroque aliquando participare deprehenderis.

§. VII.

§. VII.

Rectiſſime omnino probabilis argumentatio, qua ex cauſſis antecedentibus, procatarcticis nempe et proëgumenis, morborum futurorum conditiones conjectura augurari licet, magni a medicis aeſtimatur. Quis enim dubitaret, praepediendis tunc harum cauſſarum noxis occaſionem ſaepe dari poſſe, ubi poteſtas illarum nocitura praeviſa fuerit; ſiquidem, ut procatarxis mutanda magnam partem conſilia medici fructuoſa admittit, ita quoque diatheſes morboſae efficaciori prophylaxi haud raro locum concedunt. A noſtro quidem nunc inſtituto alienum eſt, cauſſarum antecedentium poteſtates in excitandis variis febrium generibus plene exponere, quippe qui ipſis in febrium naſcentium prodromis attentionem defigere conſtituimus. Subindicaſſe tamen nonnulla conveniet, tum generatim, quod ad uſum cognitionis cauſſarum remotiorum attinet, tum quoque dein ſpeciatim, quatenus diſcretio futurarum febrium ad illas cauſſas attentionem poſtulare videbitur. In praedicendis autem, quod in genere animadvertimus, futuris morbis, incertum ſemper cauſſae antecedentes argumentum praebent, donec ipſa etiam effecta in corpore ſe manifeſtare coeperint, cauſſis illis attribuenda; quum eo usque pertingere non poſſe videatur medentium ſcientia, ut in dimetienda cauſſarum remotiorum efficientia ſecundum diverſas diatheſes, ultra probabiles conjecturas, ſed ſaepe adhuc valde ambiguas, progredi

 valeant.

valeant. Quum tamen non minus de propria cauſſarum facultate, quam de apta corporum certas ad mutationes inde concipiendas indole, complura ſatis comperta et explorata habeantur: dubitari plane nequit, multo certius praeludia febrium dignoſci, veriusque de futuri morbi indole judicium ferri ab illo poſſe, qui antecedentium vtriusque generis cauſſarum indolem, viresque, probe cognouerit, atque penſitauerit.

§. VIII.

Quibus ergo nunc laxior fuerit firmarum corporis partium habitus, et incommoda facile, niſi ſtrictioris diaetae ſe legibus ſubmittant, ex ventriculo et praecordiis affectis oriantur, quorumque valetudo, quum humorum coctio ac depuratio ſolitum tramitem reliquerint, et quum praeſertim excreta et retenta non certo et conſueto ſucceſſerint ordine, facile in deterius ruere obſeruatur, quamvis etiam natura, non impedita vel parum quoque adjuta, leuandis minoribus moleſtiis ſaepe adhuc ſatis potens reperiatur, ad ejusmodi febres, quae colluuie ad primas vias, varie nocente, ſe diſtinguunt, proniora habere corpora ſolent. Mobilius praeterea neruorum ſyſtema, iracundiae promptitudo, quodammodo major ex leuioribus cauſſis quam in aliis oriundus corporis aeſtus, cum celeriori et minori arteriarum pulſu; facilitas inſequentis poſt iram aliasque poſt graues ſyſtematis neruoſi commotio-

motiones oris amaritiei, naſcendae ex paullo largiori coena cephalalgiae et καρηβαρίας, praeſentem quoque ad bilioſas febres diatheſin declarant. Aptiora itidem concipiendis hisce febribus corpora habent, quibus ſecundum naturam color faciei minus amoenus, non roſeus genarum in albidiore ceterum facie corporeque integro, ſed pallidus et ſubflauus eſt, aut quoque rubor aequalis per faciem expanſus, vel ad fuſcum vergens; quibus ad ſpaſmos in praecordiis, doloresque colicos, ad diarrhaeas etiam et vomitiones, ex refrigerio, ex animi affectu, et cacochylia, pronitas eſt; quibus in lingua albidae, mucoſae et ſubflauae ſordes facile colliguntur et quibus vermium inteſtinalium progenies eſt. Etiam ſanguinis per venae portarum ſyſtema progreſſus impeditior, et affectiones inde ortae haemorrhoidales, praeſertim vix absque praegreſſis incommodis fluentes, et ex minoribus cauſſis diu in fluxu conſeruari, aut contra ſubito facile ſupprimi, ſolitae; ſimilesque in feminis menſium anomaliae, et mucoſae genitalium impuritates, conditionem fouent inteſtinalibus hujusmodi febribus reſpondentem. Tandem quoque diſpoſita haſce ad febres corpora gerere obſeruantur, qui detritas qualicunque ratione vires habent, ex morbis affinibus praegreſſis, ex frequentiori crapula et comiſſatione, ex grauioribus diuturnisque affectionibus venereis; quibusque ceterum aetas, ſexus, vitaeque ratio debilitatem eminentiorem conciliant.

§. IX.

Ita nempe conftitutos homines frequentius faciliusque febribus ex inteftinalium ita dictarum genere, biliofis, putridis, malignis, tunc affici experientia comprobat, vbi cauffae procatarcticae illarum indoli refpondentes accefferint, qualiscunque harum fit in motibus febrilibus excitandis agendi ratio. Ex hisce autem cauffis plurimas, quas ad febres hujus generis producendas efficaces effe obfervando conftitit, iis modis generatim nocere manifeftius liquet, vt materiem vitiofam in corpore jam praefentem augeant, acriorem reddant, ad loca imprimis afficienda determinent: naturales praeterea humorum vtilium coctiones impediant, natarumque fordium excretioni fufficienti obfint; nervofi denique fyftematis vigorem, praeftantiores ad coctiones valde neceffarium, infringant vel perturbent. Ad has enim officiendi rationes facile retuleris efficaciam victus glutinofi, omnisque difficilius fubigendi, et minus nutrientis, pinguis, aromatici, varieque corrupti, nimii potus fpirituofi et intermiffi aquofi tenuioris. Similemque noxam non difficulter licet concipere motus corporis tum nimii tum deficientis, affectuum animi vehementiorum, frequentioris humidae tempeftatis, aeftusque aëris cum eadem diutius modum excedentis, praefertim vbi frigus illum fubfequatur, immunditiei denique, et putridarum exhalationum, et contagiorum, vi fpecifica fimilis indolis praeditorum. Haud raro

equi-

equidem euidentium eiusmodi caussarum vis, cum per breue temporis spatium in corpus egit, ita efficax reperitur, vt, vbi apta diathesis adfuerit, spontaneam lentamque materiae febrilis euolutionem, quae in febrim tandem erumpat, excitare valeat. Nonnunquam continuatae per aliquod tempus actioni caussarum in corpora hominum, ad ipsa vsque febrium initia locus datur, quo casu etiam ipsa dispositio ad morbos primum nasci, sensimque magis augeri potest. Verumtamen vt quoad diathesin multa latent, prout limitata vi contagii variolarum, morbillorum et pestilentiae verae constat, sic etiam de propria potestate complurium caussarum antecedentium, atque de modo quo excitata natura morborum euolutiones praestet, praeter pauca obseruatione comprobata, fere nihil hactenus innotuit.

§. X.

Febribus autem illis, quae crises perfectas facilius admittunt, quibusque variae humorum ad praecordia confluentium corruptelae minus solemnes, magis obnoxia deprehendimus robustiora, saniora et ex hypochondriis praestantius valentia corpora. Qui firmiori nempe gaudent solidarum partium compage, quibus systematis neruosi minor sensibilitas mobilitasque, quibus integrior alimentorum digestio, durior aluus, compactior et calidior sanguis, robustior arteriarum pulsus, quique vitae genere vtuntur laborioso, et quibus plethora

vera, cum aetas praeſertim reſponderit, facilius moleſta ſit, hujus claſſis febres frequentius concipiunt. His tempeſtatum viciſſitudines imprimis aeſtuoſae et frigidae, corporum ſuorum calentium refrigeria, venti aquilonii et ſicci, nimius animalis victus, aromaticorum et ſpirituoſorum abuſus atque neutra contagiorum vis, haud raro anſam praebent. Sed vt quoque haud negandum, occultam has ad febres diatheſin quibusdam in hominibus adeſſe, quam explicare nemo facile auſus fuerit, ſic et aliquando de procatarctica cauſſa, quae illas excitauerit, minus conſtat. Nonnunquam equidem ſatis euidentis cauſſae actio plurium dierum ſpatio morbi eruptionem praecedit, accidit tamen breuiſſimo quoque temporis interuallo nocentis cauſſae applicationem febris initium ſubſequi. Magisque plerumque ſubitanea et inopinata eſt harum febrium eruptio, dum occultior illarum euolutio eſſe videatur, niſi quod quaedam earum genera ſpecificis quibusdam indiciis aliquando ſe prodere ſoleant. Frequentius etiam hae febres euidentioris cauſſae vnica ſimplicique, nec diu continuata actione excitari poſſunt.

§. XI.

Qui ad haec probe reſpexerit, atque tum privatarum, in hominum corporibus obſeruabilium, conſtitutionum, tum indolis cauſſarum procatarcticarum rationem habuerit, aliquando, quamuis neutri

tri etiam ſint prodromi, non ſine inſigni commodo futurae febris genium propius cognoſcendi locum deprehendet. Licet quoque nondum, quodnam ad genus febrium inferius determinate inclinet natura, praeuidere valeat, momenta tamen euidentia, quae ſalutarium conſiliorum ſatis certas rationes praebeant, animaduertere, atque ſic vel futuro morbo ex optato penitus occurrere, vel eundem tolerabiliorem, minusque periculoſum reddere poterit, niſi conditiones adfuerint inſuperabiles, omnemque fere artem eludentes. Minime vero intra tam arctos moliminum ſaltem generalium cancellos artis prophylacticae inſtituta contineri, nemo, quem vel experientiae vulgatiores non latent, exiſtimare poterit. Ipſa enim inferiora quoque febrium futurarum genera, magisque determinatos harum decurſus, ac ſingulares genios, propriaque ipſis in aegrotantium indiuiduis metuenda ſymptomata, non raro augurari licet, praeter reliqua, etiam ad res omnes, quae dicuntur naturales, accuratius attendenti, praeſertimque ad morbos praegreſſos, et modum, quo illi ipſi ceſſauerunt, et praeſentes forte ad conſtitutiones epidemicas. Certiusque et magis definitum futuri mali augurium praeſtantiori quoque prophylaxi locum concedere nemo plane dubitabit.

§. XII.

Ipſorum vero prodromorum, futuras febres probabiliter ſignificantium, cognitio, fere generali

rali illa nititur observatione, quam et Cous ipse medicinae Parens tradidit: Οὐκ εὐθέως αἱ νοῦσοι ἀνθρώποισι προσγίνονται, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν ξυλλεγόμενα, ἀθρόως ἐκφαίνονται *a*). Quod mirabile omnino phaenomenon, frequenti quidem observatione in iis quos continua vel intermittens aliqua febris prehenderit, confirmatum, ab ipsis vero affectis, antequam ejusmodi morbus eruperit, negligi solitum, non sine difficultate in vsum vertitur; et si quod sentiamus fatendum sit, fieri vix poterit, ut sine repetita αὐτοψία quis satis certus evadat, in distinguendis affectionibus levioribus ac facile transitoriis et minori quadam caussa excitatis, corporisque praevalente vigore devincendis, ab aliis, quae gravioris momenti sint, minusque dubie majorem morbum praenunciare queant, et in dijudicanda confidentius, ob hancce differentiam, prophylaxeos alicujus necessitate. Eo utique magis cautum providumque in divinatoria hac arte medentem esse debere, verissima haec etiam declarat observatio, quod proportio neutiquam sit manifesta inter prodromorum atque morborum insequentium gravitatem ac magnitudinem. Dubio equidem sub statu consilium Hippocratis prudenter sequi conveniet: Τῶν νουσημάτων, ὧν μὴ ἐπίσηταί τις, φάρμακον πίσαι μὴ ἰσχυρόν: *b*) qua via saepissime certiorem ad notitiam praesentis aeque ac futuri mali pervenire licuit.

a) *L. I. de diaeta. Edit. Lind. T. I. p.* 182.
b) *De loc. in hom. Cap. XLVI. edit. Lind. T. I. p.* 390.

cuit. Sed praeter haec non facile, una vel altera saltim conditione functionum vel qualitatum alienatarum cognita, tentandum esse existimamus futuri morbi augurium, verum potius in vniuersum circumspectum totius, quae homini sit, constitutionis, omniumque caussarum, quibus affici potuerit, considerationem vix non semper maxime habemus necessariam.

§. XIII.

Jam vero ex generalibus praenunciis morborum signis fere vulgatissimum esse videtur *insolita* illa et *spontanea* vel *vltro oborta lassitudo*, de qua HIPPOCRATES: κόποι αὐτόματοι φράζουσι νούσους a). Et omnino si a lassitudine illa, quam laboriosam dicunt, hancce satis accurate distinguamus, et ab illa, quae alias manifestiores insequitur caussas, vnde non facile graue quid metuendum, curas puta, vigiliam nimis continuatam, interruptum somnum, ingluuiem, crapulam, aëris humiditatem, et quae alia, pro febrium ejusmodi prodromo eum habere poterimus, qui collectam crudi copiam, et offensum quodammodo systema neruosum, significet. Nisi tamen ad alia quoque attentio habeatur, vel nimia perseuerantis bonae valetudinis spes esse poterit, cum grauitas corporis fere nulla, et nulla in motu membrorum difficultas persentiatur, vel periculi metus facile modum excedet, vbi natura sine

a) *Aph. V. Sect. II.*

fine febre fe a mobili farcina breui negotio liberatura fit, aut cum longus aliquis morbus, ejusue paroxyfmus, fine febre inceperit, vel etiam cum quaedam aegrotatio fine materie, quae absque febri, breui tempore, defmere poffit, aliquem afflixerit. Quoad primum ex his momentum, omnino maxime notabile, febres non malignas, nec biliofas, ardentioris tamen indolis, atque ceterum fatis calidas grauesque, vt fimplices praefertim pectoris inflammatorias, rheumatismum fimilem inflammatorium, pluresque alterius a nobis defcripti generis febres, laffitudinem ita manifeftam praecedere non folere. Dein quoque memorabile, laffitudinis gradum vehementiae febris futurae nequaquam refpondere, eoque magis ad reliquas etiam dubiae valetudinis conditiones attentum requiri obferuatorem. Locum vero inprimis laffitudo, inftar prodromi, pluribus cum alienis affectionibus conjuncta, obtinet, cum biliofae, putridae et malignae febris euolutio contingit, neque facilius promtiusque ordinarie vllum fignum in epidemica ejusmodi morbi conftitutione in vfum adhibetur. Hujusque incommodi tunc triplicis vel quatruplicis generis triftem fenfum occurrere GALENUS docuit *b*), ad normam quidem experientiae *c*), etfi rarius aliorum teftimoniis confirmatae. Ita enim, num fatis accurate aliis difcutiendum relinquo, *triplex quidem eft*, GALENUS ait, *in laffi-*

b) *De fymptom. caufis L. II. C. V.*

c) Quod ipfum confirmat b. BRENDELII affertum in diff. de *partit. febrium* §. *XIII. p.* 30.

laſſitudinibus ſenſus, putantibus vel conquaſſatum ſibi aliquid pulſatumque, vel tendi ſibi undequaque corporis molem, vel tanquam multa vlcera in ipſis, quoties moventur, ſint diſperſa. Vnde laſſitudinem ſpontaneam diuidit in *tonodea* ſiue tenſiuam, cui alii *barodea* ſubſtituunt, in *phlegmonodea* ſiue aeſtuoſam aut inflammatoriam, et in *helcodea* ſiue vlceroſam; atque ex hacce adaucta *phricodeam* ſive horridam oriri tradit *d*). Pro morbi quidem naſcituri, naſcentisque, differentia, tum et pro diuerſa ipſius hominis conditione, pro variis etiam excretionum ſalutarium impedimentis, et pro diuerſa humorum abundantia, pro diſcrepante quoque ſenſibilitate, et quae ſunt reliqua, variae utique de laſſitudinis ſenſu querelae agi ſolent, quae medentis attentionem poſtulant, atque nonnihil momenti ad conſilia aptius definienda conferunt. Variis etiam et aptiſſimis verbis diverſum laſſitudinis ſpontaneae ſenſum inter ſigna futurae valetudinis aduerſae CELSUS exprimit, et ea quidem quae ipſo etiam judice ad febres pertinere videntur *e*). *Protinus*, inquit, *timeri debet, ſi grauiora membra ſunt, - - - ſi marcet animus, ſi loqui et moueri piget, ſi corpus torpet; - - ſi genua quaſi fatigata ſunt, totumque corpus laſſitudinem ſentit.*

§. XIV.

d) *Conferri de hoc laſſitudinum diſcrimine meretur* PROSP. ALPINUS *de praeſag. vita et morte L. II. Cap. XXI. p. m.* 144.

e) *De medic. L. II. C. II.*

§. XIV.

Valde notabile in ſpontanea laſſitudine diſcrimen eſt, quoad affectum vario gradu ſyſtema nervoſum. Adeſſe enim illa poteſt, vbi mens ſibi perfecte conſtat, vbi fere integerrimus memoriae et judicii vigor, vbi vigiliarum et ſomni ratio vix aliquantiſper a naturali ſtatu abludit, ac vbi de cetero nihil adeſt, quod metum incutiat. Ejusmodi mitis laſſitudo initio veri et benigni catarrhi et mitiores ante intermittentes febres quam frequentiſſime obſeruari ſolet. Pejor longe conditio eſt, cum ſomnus grauior ſolito et frequentior contingit, inſomniis etiam tumultuoſis perturbatus, cum perterriti expergiſcantur, aut quoque ſi occulta ſomni ſint impedimenta, quales affectiones aliquando febres biliosas malignasque per vnum alterumue diem vel etiam longius antecedunt, et cum reliqua reſponderint, non ſine probabilitate praeſagiunt. Quodſi etiam inſolita quaedam obſeruetur ſtupiditas, vel hebetior animus aut moroſior, et ad ea quae geruntur minus attentus, et aliqua vertigo, et memoriae imbecillitas, non ſine re graues morbos capitis, etiamſi modo ſint conſenſuales, quos equidem plerumque febris aliqua vel praecedit vel comitatur, metuemus. Ex ordine quoque debilitatum neruoſi ſyſtematis, difficiles febres, et ex praecordiis quidem affectis malignae indolis, inſtare aliquando ſignificantium, habendae merito ſunt animi defectiones inſolitae, vbi excitatae haud ſint per manifeſtiorem

ſtiorem aliquam cauſſam, profuſionem ſanguinis, aliamue κενεαγγέιαν, hyſtericam vel hypochondriacam affectionem, dolorum vehementiam, inteſtinorum vermes, et vbi reliquae ſic affectorum conditiones eidem augurio contrariae non fuerint.

§. XV.

Primarum viarum et integrae chyli officinae deprauata quaedam conditio inter praecipua ſigna futurarum prioris a nobis deſcripti generis febrium, pertinet, certiusque reddit praeſagium ex labaſcente corporis animique robore formandum. Eo vero minus illa mali denunciare ſolet, quo integriores perſeuerent vires, quo praeſtantius adhuc neruorum inprimis functiones ſuccedant, et quo paucioribus levioribusque remotarum partium affectionibus, perturbatisque ſecretionibus, anſam dederit. Illud vero laeſum digeſtionis negotium grauius quoque eſſe, et longe facilius a febre quadam inteſtinali excipi obſeruamus, quod non ex vitio alimentorum potuumue manifeſtiore ortum habeat, ſed quaſi ſponte, et praeter conſuetudinem, qualis alias hypochondriacis frequens eſt, pravitas iſta functionum ventriculi ſubnata ſit. Complura autem ſunt, quae aliquando ante febrium eruptionem jam animaduertimus horum malorum ſatis manifeſta indicia. Huc pertinent, appetitus imminutus, aut plane deficiens, vel nauſea, etiam ad ea quae alias grata fuerunt vel ciborum vel potulentorum genera, prae-

fertim ad alimenta ex animalium partibus parata; accedit plerumque fapor aliquis alienus fpontaneus, ori inhaerens, quem aegri aliquando pituitae tribuunt, aut qui jam alias febri quadam intermittente praecipue tertiana laborarunt, ex praeteriti fenfus reminifcentia, febrilem dicunt *a*). Certius abundantem vel corruptam, primasque ad vias delatam bilem aut perturbatam faltim hujus humoris fecretionem, etiam ante febrium certius biliofarum initia, oris amarities declarat, quae vel in ore vacuo inhaeret, vel modo inter manducandum percipitur. His omnibus vbi etiam praeter confuetudinem aucta fitis accefferit, metus febris infecuturae certior erit. Sed fieri quoque poterit vt fitis abfit, atque tamen febris, et malignae quidem indolis, propius inftare videatur, quum nempe ficcitas linguae adfit, oppreffamque fenfibilitatem quibusdam e fymptomatibus probabiliter hariolari liceat. Quoad perfecte munda deprehenditur lingua, non ita facile febrim oris amarities vel moleftiffima praefagiet, quamuis alias grauioresque affectiones metuendi non defit ratio. Verumtamen diu quoque fordida effe lingua poteft, haud infequente febri, et continuante appetitus integritate, fed non fine aliqua fecretionis humorum, qui chylopoiefi inferuiunt, peruerfitate. Grauior autem propinquae febris metus eft, vbi vel fpumofa modo tenaciorque faliua, quum fimul fapor

a) *De fapore alieno febrium prodromo, praefertim conf.* BAGLIVI *opp. edit. Lugd. p.* 423.

ſapor in ore alienus eſt, linguae marginibus adhaeret, multoque magis praua eſt conditio, vbi jam, praeſente iterum ſapore adverſo, tenuis mucus ſubalbus, vel pituita craſſa, vel ſordes ſubflavae denſiores, linguae inhaeſerint. Verum neque tunc alia vel ex antea memoratis vel dein tradendis deficere ſolent praenuncia febrium ſigna. Jam quoque hoc loco aliarum affectionum, quae corruptam chyli officinam eſſe confirmant, injicienda quaedam erit mentio. Ad haec merito aliquis refertur anxietatis ſenſus, qui etſi aliunde quoque ortum facile habere poſſit, non raro tamen et a ſordida primas ad vias colluuie excitatur, quod in iis minus dubium erit, quibus haec origo ſe aliis etiam ſignis manifeſtet, praeſertim cum et nauſea ſimul, et ructus foetentes et aliquando corrupti quid ſurſum ducentes, et aliquis obtuſus praecordiorum dolor, adſint. Inter haec nonnunquam occurrentia ventris murmura, et vel mitiores colici dorſique dolores, alui autem dejectiones forte ſemper minus naturaliter comparatae, obſeruantur. Rariores hae et parciores et quodammodo teneſmodes incidere, minusque compacta, neque raro foetidiora ſolito excernere ſolent. Sunt etiam ita valentium haud pauci, in quibus faciei vitiatur adſpectus, dum is pallidum, aut ſubflauum, aut profundius quoque rubrum fuſcumque, vel ſubliuidum colorem refert. Et in genere capiti praecipuam quandam vim, vt per morbi decurſum, ſic etiam illo nunc breui ac-

 ceſſuro

ceſſuro facile inferre ſolent ſordes in praecordiis collectae, et alienati ibidem ſecernendi ſucci; vnde quoque non modo infirmitates illae ſyſtematis neruoſi, aliterque laeſae ejus functiones, quarum facta jam fuit mentio, cum hac praecordiorum impuritate frequentius, etſi vario gradu, conjunctae obſeruantur, ſed et idem ipſum grauitas dolorque capitis, oculorum aliquis rubor, et adſpectus triſtior, et moleſta verſio, hujus generis febres quam ſaepiſſime comitari et aliquamdiu praecedere ſoliti, ſatis confirmant.

§. XVI.

Hiſce quibuscunque affectionibus, vbi etiam incommoda magis proprie febrilia, prouti haud raro contingit, acceſſerint, longe tunc prope inſtantis morbi augurium redditur veriſimilius. Quum nempe aliquale ſed vix parumue moleſtum in artibus dorſoque frigus, interna ex cauſſa ſponte oriundum, et vel incerto modo cum eodem alternans, vel incomprehenſibili ratione illi intermixtus calor, atque hic, ſi vllibi, praeſertim in capite magis continuus, et ſaepe quidem interdiu, absque typo tamen, perſentiantur; quum et ex calore foci lectiue, quem quaerere tunc multi ſolent, vix vel parum refocillentur, potiusque aliquando pejus inde ſe habeant, caputque magis doleat. Nonnunquam fere nihil caloris interdiu animaduertitur, ſed algor modo mitis adeſt, in manifeſtum horrorem,

quo

quo cutis constringatur, et artus quodammodo contremiscant, raro, ante ipsam febris eruptionem, transiens, majoribus minoribusue intervallis, quibus desinere ac naturalis calor redire videatur, etiam interstinctus. Eo in rerum statu pulsus arteriarum naturali quodammodo celerior, sed minor tamen et contractior, subinde incerta per interualla, fere secundum conditionem algoris, fieri, dein iterum ad naturalem magis accedere, obseruatur. Respiratio nonnihil citatius peragi, et praesertim noctu, et in somno quouis aliqua suspiria trahi solent. Etiam vrinae alienata quaedam conditio his temporibus obseruabilis attendi meretur, quum et illa quid crudi, vel pallido suo colore, vel claritatis solitae defectu, vel intermixtis flocculis, vel insolito foetore, vel innata spuma, vel in vitro ad lotii superficiem brevi exortus lividus circulus, tunc manifestare videantur. De sudoribus nihil praecise definire audemus, nisi quod etiam ad mutatam illorum, qui secundum naturam fuit, successum, et num, vt GALENUS ait, *plures vel pauciores, quam conueniant*, obseruentur a), attendendum esse, existimemus.

§. XVII.

Pauca nunc etiam de signis addere conueniet, quae febrim indolis ardentioris, minus spasticae, perfectiores ad crises magis pronam, sordiumque ad

 primas

a) *Art. medicin. C. LXXXII. de signis futurae aegritudinis.*

primas vias colluuiei minus obnoxiam, in corpore jam euolui, probabiliter declarare queant. Jam fupra innuimus, huic febrium generi illud fere moris effe, vt ex improuifo vix aliquid mali metuentes corripiant, atque longe occultius plerumque, quam illae alterius explicari foleant; quare quoque omnino multo difficilior eft prodromorum, qui has antecedunt, verifimilis quaedam diagnofis. Ergo etiam hic longe magis follicita opus eft cauffarum antecedentium et epidemici genii obferuatione, atque accuratiore ipfas ad corporum diathefes attentione, vbi, num ejusmodi febris non temere metuenda fit, hariolari velimus. Verumtamen et praeter haec non plane omnia femper deficiunt actuofae jam in paranda hujusmodi febre naturae indicia; quod nec facile quem inficiaturum confidimus, qui fatis induftrie illa in molimina praematura inquifiuerit. In iis autem hominibus ceterum difpofitis, fecundum obferuata quodammodo certius metuendus eft hujusce generis febrium exortus, qui ἀνορεξίαν quidem vix vllam animadvertunt *a*), quibusque aliquam humorum in praecordiis corruptelam incipere folemnia alias manifeftiora figna non declarant, verum tamen infolita quaedam, etfi non magna,

a) Memorabile, quod ait BOERHAAVIUS de pleuritide, aphor. §. 883. *incipit cum appetitu ciborum faepe magno*; et quod addit van SWIETEN in commentar. T. III. edit. Lugd. p. 19. *Appetitus quandoque validus praecedit, ita vt mirentur acriorem folito famem, nondum tunc aliquid mali percipientes. Paulo poft incipiunt rigere.*

magna, laſſitudo, et quietis amor contingit, quosque motus corporis praeter conſuetudinem fatigat, atque capitis dolorem illis creat, iterum a quiete miteſcentem; qui non nihil hebetatam a certo temporis ſpatio ſentiunt ingenii vim, vel difficultatem in mentis virium intentione; quibus et moleſtus quidam in membris, in capite et in pectore aeſtus ex ingeſtis virtutis calefacientis magisque nutrientis, vino, aromatibus, animali victu, ſine omni plane incommodo alio tempore aſſumtis, facile ſuboritur; quibus et minus tranquillae noctes, verum inquietior et inſomniis perturbatior, minusque reficiens ſomnus eſt. Ceterum in hos quoque praeſertim, licet non ſolos, cadit obſeruatio Celsi: *ſi plenior aliquis, & ſpecioſior & coloratior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet a).* Etenim etſi quidem frequentius e longinquo gratior illa reddita facies diſcrimen valetudini minetur, ubi vitae genus et alimentorum ratio ſenſim atque lente meliorem ſpeciem induxiſſe videantur, nonnunquam tamen et a breviori tempore natum amoeniorem genarum ruborem, plenioremque paullo faciem ſine manifeſta cauſſa, inter alia febris hujusmodi praeludia deprehendere, atque inter effecta orgasmi, naturae modum nonnihil excedentis, referre licet. Plenitudinis vaſorum, et nimiae ad impetum ſanguinis auctum pronitatis, alia quoque praeter jam adducta indicia huc pertinent, quum reſpirationis aliqua dif-

 ficul-

a) *Lib. II. Cap. II.*

ficultas, tuſſicula quaedam ſicca, dolores in artubus, et in pectore praeſertim, fugitiui, et quodammodo punctorii, anxietatis per intervalla perceptiones, atque cordis etiam fortiores pulſationes incidere tunc ſoleant. His accedit, quod notatu quidem digniſſimum, multumque roboris momentis praeſagiorum reliquis addere valet, propiusque inſtantem, quum reliqua conſentiant, febris eruptionem probabiliter declarat, aliquando nempe, ſemel vel aliquoties per diem, ſubito et ex improuiſo, ſine manifeſta cauſſa horrorem per dorſum artusque percipi, ſtatim iterum ceſſantem, inſequente vel nullo vel non tanto caloris naturalis augmento, vt incepiſſe febris decurſum denotare queat. Frequentius redire is horror ſolet, et quidem ſub leuis etiam ſitus membrorum permutatione, et quum aliqua corporis pars veſtimentis aliis obtegi ſolita denudetur, vbi propinqua eſt catarrhi eruptio; qui eo probabilius exſpectatur, quo manifeſtius etiam reliqua ejus indicia apparent a Celso prolata, *ante febres*, inquiente, *ſi caput graue eſt*, *aut ex ſomno oculi caligant*, *aut frequentia ſternutamenta ſunt*, *circa caput aliquis pituitae impetus timeri poteſt a*). Quo ipſo tamen ſub rerum ſtatu habenda quoque attentio eſt, ne morbilloſa febri ſuboriunda, cujus ſimilia eſſe ſolent praeludia, neque affectione praecordiorum grauiori, quam excitandis etiam catarrhalibus ſimulacris eſſe parem conſtat, in diagnoſi decipia-

a) *Lib. II. Cap. VII. p. m. 58.*

cipiamur. Atque sic etiam praeterea res magni semper erit momenti, veras in origines incommodorum et qualitatum corporis alienatarum, quam sollicitissime inquirere, quo non solum de futurae febris genere et indole verius judicemus, sed aptiorem quoque et satis efficacem opem prophylacticam, qua grauior et periculosior aegrotatio auertatur, desideranti ferre queamus.

§. XVIII.

Quoad ipsa nunc salutaria consilia, iis, qui febrium prodromis affecti videntur, praebenda, in genere medenti eo esse respiciendum existimamus, quo impedimenta mitis et clementioris coctionis alienatae actuosaeque in corpore latentis materiei, et quae de reliquo etiam perfectae mali solutioni obesse possint, remouere, atque naturam ipsis in perficiendis hisce negotiis, vbi conuenerit, adiuuare prudenter studeat. Quae quum rite instituta fuerint, nonnunquam, nec raro, plane praepedire poterunt manifestiorem et grauiorem ex qualicunque genere febris eruptionem; quamuis aliter se res habeat, vbi vel jam nimis propinqua febris institerit, nimis altas jam ejus caussae radices egerint, vel cum illa ejus fuerit indolis, ac variolas et morbillos esse certius constat, vt semel hausto contagio suum morbus decursum pertinaciter postulet. Verum etiamsi manifestam febris eruptionem, antea praeuisam, apta prophylaxi arcere haud licuerit,

rit, inſignem tamen et hoc loco manere ſpem nemo facile negauerit, quin morbus leuior longe, minusque periculoſus ſit ſucceſſurus. Jam vero quo facilior et moderatior tum coctio tum criſis contingant, qualem etiam cunque futuram auguramur febrim, id omne tunc intermittere conſultum habemus, quod humorum per vaſa motum validius intendere, quod aeſtum corpori majorem conciliare, quod generandis vitioſis ſuccis ſub febrili aliqua praeſente humorum conditione, anſam dare, quod juſtam denique humorum depurationem impedire valeat. Contra in mediocritate ſeruandus functionum vigor, iisque tamen ſubueniendum, quae temperata quadam, contraria modo dictis incommodis, efficacia polleant. Inſigne quantum poteſtatis ad haecce feliciter praeſtanda in diaeta reperimus et regimine antiphlogiſticis. In conclaui ſuo maneant hi deterius valentes, et frigidi aeque äeris impetum ac nimis calidum et vaporibus nociuum euitent. Ab omni animi corporisque virium contentione plane abſtineant, ſed quoad vtrasque ſe quieti tradant, non omnis tamen ſit vetitus leuis lentusque corporis in conclaui motus. Paucis ſe tegant ſtragulis, cum ad ſomnum vel alias ex infirmitate in lectum decubuerint. Non ſatientur cibis valde alibilibus, neque enim hoc modo vitali hic locus indicationi. Ab omni abſtineant animali cibo, etiam a juſculis, ab ouis, a lacticiniis, praeterea et a quouis duriori difficilius ſubigendo, ſic-

ciori,

ciori, ab omni aromate, a potu quouis fermentato; verum vegetabili nutriantur alimento, et molliori quidem humido tenuique, et subacido ex fructibus praecipue horaeis parabili. Potu etiam largiori copia, et vltra sitim vtantur, eoque tenui quidem aquoso, et acidulo, ex ptisanis maxime conficiundo. Aluo quotidie prospiciant, et selecta qualitate alimentorum et, vbi horum efficaciae successus haud satis responderit, enematibus. Rectissime cel. TISSOTUS, postquam similia modo exhibuerat consilia, subjungit: *En suivant cette methode, on a souvent coupé racine aux maladies les plus graues; & lorsqu' on ne peut pas les empecher de paroitre, au moins on les rend plus douces, et l' on diminue beaucoup le danger* e). Neque tamen in his diaeteticis maxime consiliis solis erit subsistendum, vbi simul adhibitis therapeuticae artis auxiliis optato fine certius citiusque potiri liceat. Quodsi biliosae, putridae, malignae, aliusue intestinalis febris indicia compareant, num forte sordes praecordiorum jam turgeant, inquirendum, vbi tunc leni conueniet emetico succurrere, alias moderatus praestabit antiphlogisticorum vsus, donec aptior euacuandi locus detur. Vbi sanguinis adesse abundantiam et aliqualem ejus ebullitionem, nimiumque in partes nobiliores, praesertim caput et pectus, impetum animaduertamus, nisi biliosae putridaeue ad praecordia colluuiei orgasmus alia suaserit, multum praesidii justa sanguinis missio subministrare poterit, quam et

a) *Avis au pleuple* §. 30.

et eo quidem certius proficuam deprehendimus, quo manifestius de simplici futurae febris ardentiori aut inflammatoria indole constiterit; vbi quoque optimus tepidis pedum balneis, exhibendisque nitro et camphorae, locus est. Eademque haec remedia, etiamsi certo affecta sint praecordiorum viscera, vereque ex genere intestinalium febris metuenda sit, multum commodi praestare, ipsiusque dein forte conuenientis emetici faustiorem reddere efficaciam valent: vbi modo minus e sordibus primas ad vias collectis et quomodocunque nata spastica affectione apparentem vasorum plenitudinem et sanguinis ebullitionem, quam ex nimia ipsius massa et indole phlogistica, secundum obseruationis normam, exortas esse judicauerimus. Et quum eo peruentum sit, vt vlteriorem curam haud postulent leuanda mole vasa, nec depurganda sordibus praecordia, reliquum facile, si quod agendum supersit, sola haud impedita perficere solet natura, aut si etiam illa minus perfecte sufficere videatur, per antiphlogistica mitiora eam quodammodo adjuuare proficuum erit. Nonnunquam tamen, sublatis etiam febrilibus moliminibus, horumque caussis, ejusmodi adhuc superesse conditio poterit, quae aperientium, atque tonicorum et specialium prophylacticorum, quae nempe mali grauioris recursum arceant, continuatum postulare vsum videantur, quorum equidem omnium selectum varia ipsius therapiae capita satis edocent.

II. Dissert.

II.

Diſſertatio de amplitudine generis febrium bilioſarum publice propoſita Goettingae d. 13. menſ. Sept. 1766. Reſpond. FRIDERICO LVDOVICO MAY, Clausthalenſi.

§. I.

Febrium, uti quorumvis aliorum morborum, diviſionis ille certe praecipuus eſt uſus, ut aptior certiorque iis medendi methodus conſtitui poſſit. Hinc et illarum partitionem medici pro variis conditionibus, quas in illarum initiis ac decurſu obſervaverant, jam dudum inſtituerunt. Frequentiſſima vero, et maxime uſu recepta, etiam obſervatione ſatis confirmata, febrium diviſio eſt, cum eas, ſecundum decurſus ſui varia inter ſe collata tempora, in duo ſumma genera, continuas nempe et intermittentes, illasque dein ulterius in continentes et continuas remittentes, has vero, pro periodorum diuturnitate, ac ad ſe mutua relatione, in quotidianas, tertianas, quartanas, nunc ſimplices, nunc duplicatas nunc triplicatas, diſtribuere. Ab origine eas in primarias et ſecundarias, ab indole in benignas et malignas diviſerunt. Aliud febrium diſcrimen ex conjunctis aliis corporis partium diverſis morbis merito conſtituitur, unde alias catarrhales,

alias

alias inflammatorias, alias exanthematicas, alias vero ſimplices nominamus. Ab integri curſus duratione deſumta febrium partitio notiſſima eſt, qua in breves et longas, illaeque in acutiſſimas, peracutas, acutas atque ſine periculo breves; longae vero ulterius in hecticam veram, phthiſicam, et cachecticam diſtinguuntur. *a*) Suffecerit hasce praecipuas et generaliores febrium differentias modo ſubindicaſſe, quarum aeque vlteriorem expoſitionem, ac plurium, quae ex repetitis obſervatis paſſim traditae reperiuntur, brevem aliquam recenſionem a meo nunc inſtituto alienam exiſtimo. Hae autem febrium diviſiones, quae ad externam morborum ſpeciem compoſitae ſunt, neque propius ipſa cauſſarum diſcrimina reſpiciunt, quamuis medico ſcitu maxime neceſſariae ſunt, tamen haud ſufficere videntur, quo etiam certior, et ad febrim quamuis ſingularem accommodanda, medendi methodus inde colligatur. Obſeruamus enim febribus illis quae ſecundum receptas haſce partitiones ſub uno titulo comprehenduntur, et uno eodemque nomine inſigniri ſolent, minime unam eandemque curationem convenire, verum in eis potius tam diverſam medelae rationem locum habere, ac cauſſarum corporibus inhaerentium diſcrimina ſunt, quibus

a) Conferri de hiſce febrium differentiis poterunt van SWIETEN *comment. in* BOERH. *aph. T. II.* §. 564. 565. 566. 727. 737. Noſtri olim BRENDELII *diſſert. de febrium partitione* hab. Goettingae 1747. ill. de HAEN *theſes ſiſtentes febrium diviſiones.*

bus febris eadem species produci potest. Hujus asserti veritas facile patebit, si modo ad morbum variolosum attendimus, ad cujus variam indolem auctores tam diversas curationes tradunt, ut necessum sit hujus morbi, quamvis modo unum ejus nomen sit, tamen materies et conditiones causarum, adversus quas artis auxilia dirigi debent, a se invicem quam maxime discrepare. Hinc ergo non sola secundum phaenomena, sed quoad probabiliores quoque, quamvis interdum magis absconditas caussas, ubi hae certius feliciusque artificis regere consilia queunt, partitionem fieri debere minime dubitamus. Atque vti hoc ipsum veteribus, quos artis antistites veneramur, in vsu fuit, ita nec nostra aetate neglectum fuit. Obseruamus autem in febribus, vix non omnium, ex decursus varia ratione, conjunctisque inflammationibus, exanthematibus, catarrhis, distingui solitorum generum, nunc primas vias colluvie quadam biliosarum sordium obrutas esse, nunc vero cum colluuie illa biliosa simul putredinem humores inquinasse, nunc etiam colluuiem hancce biliosam deesse, et putredinem solam humores dissoluisse, nunc praeterea diathesin phlogisticam obseruari, nunc denique eam conditionem adesse, quam LANGRISH et HVXHAM *b*) et GILCHRIST *c*) aliique *d*) lentae neruosae attribuerunt.

Secun-

b) vid. HVXHAMI *oper. T. II. p.* 75. *edit. cl.* REICHELII.

c) *Edimb. Vers. IV. B. p.* 654.

d) GLASSII *comm. VII. de febr. p.* 130.

Secundum hasce quidem diuerfas febrium conditiones generales non temere vlterius diftinguenda exiftimamus fere omnia febrium genera, propriis fuis nominibus infigniri folita, vt intermittentium, continuarum, tum ab inflammatione, tum a catarrho, tum ab exanthematibus, cognominatarum; ita nempe, vt febris fere quaelibet fingularis, ad vnam vel alteram illarum claffem, vel plures etiam fimul fibi non contrarias, reuocari poffit. Attamen hujus argumenti prolixitate ab integra ejus pertractatione nunc impediti, in eo nunc genere fubfiftimus, quod a biliofa primas ad vias colluuie diftinguendum putamus, vtque idem per plurima aliunde conftituta febrium difcrimina diftributum reperiatur, certiora per obferuata comprobare adnitemur.

§. II.

Colluuies humorum primas ad vias praeter naturam fecretorum, vbi admixtam praefertim bilem habuerit, tum quoad copiam et orgasmum, tum quoad qualitatem alienam, tum etiam quoad variam quam praeftat neruorum irritationem, toti aliquando oeconomiae animali infefta, in febribus maximam, fi fidos complures audiamus harum rerum teftes, fibi vindicat attentionem. Siquidem illa ipfa in febribus inprimis, plurimorum etiam generum, prae aliis morbis multo frequentius, fuis fe fignis manifeftat, quam fruftra in illis quaeritur. Nec dubitari poteft, quin eadem haud raro praecipuam

cauf-

caussae partem, si non eam integram constituat, cujus efficaciae et majorem febris vehementiam et complura ejus symptomata, et peculiarem exitus modum, verius longe tribuere liceat, quam assumtae cuidam febrili materiae, cum reliquis humoribus per vasa circumductae. Quam sententiam haud aegre, arbitror, amplectetur, cui veterum artis principum, nec non complurium recentioris aetatis, obseruata rimari eademque cum phaenomenis, quae morborum cursus, et curationum successus sistunt, conferre volupe fuerit. Maxime autem expedit probe comperta et explorata habere illa signa, quae delatam ad praecordia ibidemque stagnantem bilem, vnde memoratae noxae oriantur, indicare solent. Horum praecipua esse existimamus; lingua sordida, muco nunc magis albo, nunc varie flauo obducta, oris amarities, aliusue sapor foedus linguae inhaerens, cum oris foetore, anorexia, et nausea, sensuque plenitudinis et anxietatis circa praecordia, et oris ventriculi morsu; quae ipsa vlterius confirmare solent auersatio victus, inprimis animalis, et foetor stercorum naturali molestior, capitis etiam dolor aut grauitas, ipsaque deliria, et vertigines, et aestus vehementior, quam pro ratione plethorae motusque sanguinis probabilis videatur. *a*) Quum enim obseruando quam saepissime constiterit, vbi sub his aegrorum conditio-nibus

a) *conf.* BAGLIVI *opp. edit. Lugd. p.* 707.

nibus vomitus inciderent, ſiue ſpontanei, ſiue quacunque ratione excitati, illos facile bilioſos tunc fieri, aluique excrementa et vrinas, bilis, praeter naturam admixtae, indicia praebere, nonnunquam et auriginem accedere; neutiquam temere bilioſam primas ad vias delatam colluuiem conjiciemus, quum illa ſigna innotuerint. Non ergo mirandum, bilis nociuae efficaciae veteres tanta cum fiducia tot noxas adſcripſiſſe, etiamſi ſenſibus ipſis obuius hic humor nondum euaderet; quum analogiae, frequente experientia firmatae, et valde probabili, quae medentium quoque judiciis et conſiliis haud ineptum praeberet fundamentum, locum omnino dari deprehenderint. Maxime videtur eſſe memorabile, quod exempli loco adponimus, ipſius HIPPOCRATIS enunciatum: *Si amaritudo quaedam, quam bilem flauam vocamus, effuſa fuerit, quales cum anxietate nauſeae, aeſtus,* (ἄσαι) *et impotentiae, aegros occupant? verum vbi aliquando ab illa liberati fuerint, vel ſpontanea purgatione, vel per medicamentum, ſi modo quid horum tempeſtiue contingat, manifeſte et a doloribus et a calore liberantur. At quamdiu iſta eleuata, incocta, et minime contemperata fuerit, nulla arte neque dolores neque febres ſedantur. Et quos quidem acuti acres et aeruginoſi humores affligunt, quales furores, et viſcerum thoracisque lancinationes, et anxietas* (καὶ ἀπορίη) *inde oriuntur? Neque haecce quieſcunt priusquam expurgentur et dejiciantur et aliis permiſceantur.* b) Quod ad

b) *De priſca medicina Sect. I. p. 17. edit. Foeſii.*

ad febres autem in vniuerfum attinet, maxime germanam Coi noftri praeceptoris doctrinam fuiffe, qua plurimas illarum a bile fieri ftatuit, *c*) neminem quidem ejus lectorum latere poterit, ex inftituto tamen id ipfum praeclarus ejus interpres PROSPER MARTIANVS prolixius probare contendit *d*). Qui et ipfe eo procedere aufus eft, vt bilem tantummodo febrem accendere poffe, afferuerit *e*). Neque feriores artis principes ab HIPPOCRATIS hac doctrina multum deflexiffe, vt complures animaduerterunt, fic idem praeftantiffimus quoque THOMAS GLASS, qui et recentiorum quorundam obferuatis eandem fententiam firmauit, illique refpondentem medendi rationem defendit, euidenter propofuit. *f*) Eoque magnam partem fpectant, quae ad experientiae, tum aliorum tum fuae quoque propriae, normam tradidit et collegit HENR. JOSEPHVS REGA, quum fomitem febrium in ventriculo faepiffime haerere probauit. *g*)

§. III.

Quo vsque vero etiam nonnulli bilis in febribus excitandis efficaciam extenderint, certiffime

D 2 ta-

c) *de natura humana* §. *XXVII. L. I. de morb. cap. VI.*

d) *In* HIPPOCR. *notationibus explicatis, Patauii* 1719. *p.* 16 - 19. *et* 114.

e) *lib. modo laud. p.* 17.

f) *comment. de febr. ad Hippocrat. difcipl. accommod. comment. VII. de alui dejectione et vomitu.* Conferri quoque meretur ALEX. TRALLIANI *Lib. XII. cap. II.*

g) *de Sympathia cap. XII.*

tamen exactiori constat multorum obseruatione, dari omnino varia febrium genera, quarum originem bili non nisi temeraria ex hypothesi tribuere licet, quae ipsa vix vllum arti commodum spondeat, potiusque facile a vero curandi tramite, experientia confirmato, veri minus curiosum, eademque sententia imbutum medentem seducere queat. Quum enim vtique sint febres, ab iis incommodis integrum suum per cursum immunes, quae colluuiem primas ad vias delatam, vel biliosam vel aliam, declarare queant, praetereaque reperiantur, in quibus pituitae potius varie corruptae, acoris etiam, neutiquam bili tribuendi ad praecordia collectorum, indicia occurrunt, non nisi plane perperam, artifex hypothesin illam in medendo sequeretur. Nulli ergo dubitamus, quin a classe febrium, quibus excitandis augendisue bilis noxa quid manifestius certiusque conferat, distinguenda maxime sint, et imputres variae synochae, tum quibuscum diathesis phlogistica solitaria coniuncta est, tum quas etiam sine hac occurrentes catharrhales veras simplicesque nominare licet, et praeterea illae exactius putridae, continentium nomine ab aliis pariter putridis, sed simul biliosis, vtpote continuis remittentibus distingui aliquando solitae, *a*) ab HVXHAMO quidem putridarum et malignarum *b*), et a PRINGLIO simpliciter malignarum nomine insignitae *c*); deinde et illae

lentae,

a) vid. LOMMII *obseruat. medic.* p. 5.
b) *oper. T. II. cap. VIII.*
c) *Beobacht. über die Krankh. einer Armee, 7. Kap.*

lentae, quarum originem aptiſſime GLASSIVS pituitae corruptae, partim adhuc per morbi curſum primam regionem obſidenti, tribuit *d*). Etſi vero ſatis quidem vſus inualuerit, febres illas, in quibus noxia poteſtas humorum, ipſis ex vaſis viſceribusque primam ad regionem delatorum, certiora per ſigna innoteſcit, peculiari nomine ab hacce cauſſa deſumto, diſtingui, quum illae paſſim ſtomachicae, meſentericae, inteſtinales, aliquando etiam malignae, nonnunquam bilioſae ſiue cholericae nuncupari, neque minus putridarum nomine paſſim comprehendi ſoleant. Nonnihil tamen incerti et ambigui horum in cognominum vſurpatione haud raro admitti videtur. Nomen equidem *bilioſarum* ſiue *cholericarum febrium* iis conuenire ſolis, non dubitamus, quae conjuncta habent ſigna bilis ipſius abundantis, vel praeter naturam primas ad vias nimia copia collectae, vel acri nimis qualitate praeditae, ſiue meracioris ſiue aliis cum humoribus miſtae, ipſaque in febre aut ejusdem ſymptomatibus excitandis manifeſtius efficacis. Quumque certiſſima, ſatis vulgaria quoque, per obſeruata conſtet,

d) *comment. VII. p. 130. Quibus ergo et generalis febrium diuiſio a* BALLONIO *tradita, a* GLASSIO *etiam laudata, qua febres alias venoſas, alias* γαςρικας *eſſe perhibuit, vid. oper. T. I. p. 87. ex edit.* TRONCHIN, *confirmari poſſet, niſi venoſarum nomen per aliquam hypotheſin certae cujusdam partis viſcerisue, praeter ventriculum alius, affectionem, vnde febris ortum habeat, excludere; gaſtricarum vero non ſatis commode colluuiem ad praecordia vitioſam a firmarum ventriculi partium labe diſtinguere videretur.*

non valde raro ejusmodi febres occurrere, a fignis putridae humorum corruptionis, malignaeque indolis immunes, minus probandum existimamus, arctiorem illius vocis vfum, quo inuoluere putridam et varie malignam febris conditionem traditur, quem etiam fecutos effe TISSOTVM *e*) et PRINGLIVM *f*) pluresque deprehendimus. Praetereaque nimis, quam noftra quidem fententia optandum, raro animaduertimus biliofarum febrium eam amplitudinem admitti, qua generis inftar plurimas ad fpecies fefe extendit, a conjuncta inflammatione, catarrho et exanthematibus denominatas, fiquidem ab haud paucis fcriptoribus, etiam nonnullis, qui noftra aetate artis compendia condiderunt, biliofa febris pro inferiori quadam peculiari fpecie haberi, ejusque cum aliis fpeciebus permixtae naturae mentio vix vlla injici foleat. Quae quum perpenderem, fpecimen aliquod inaugurale medicum exhibiturus, animum ita fubiit momentofae hujus doctrinae meditatio, vt amplam hujus febrium claffis, biliofarum nomine diftinguendae, naturam, quae per plurima febrium genera difpertita fit, horumque vltiorem in biliofas ipfas et alias plures diuifionem poftulet, fide digna fecundum obferuata, pro modulo virium exponere nunc fuftinerem. Etfi vero experientiam ducem fequentibus, nec difficulter conftare videatur, biliofi humoris, in decurfu variarum

e) In laudatiffimo ceterum libello, *de febre biliofa Laufanenfi.*

) *In libro allegato 3. Th. 4. Cap.*

rum febrium, a medentibus attendendi, diuersos gradus, mixtiones, coctiones, μεταπτωσεις, οργασμȣς, habere, ipsa tamen argumenti prolixitas, quo minus eo vsque nos extendamus, quum sine expositis plurium febrium historiis, id ipsum fieri vix possit, nobis erit impedimento. Eademque nobis ratio erit, et alias, cum abundante acriorique bile conjunctas conditiones corporum illorum, quae biliosis laborare febribus censenda, nunc praetermittendi, etiam a medendi hujusmodi febribus methodo tradenda, hic abstinendi, quamuis non diffitear, me eam quoque in sententiam pronissimum esse, quod hae febres ex acutis praecipuae sint, quibus in principiis, et per incrementa, quoad cocta turgeat materies, secundum ipsa HIPPOCRATIS dogmata, selectior primam regionem euacuans medicina, inter alia auxilia, quam aptissime conueniat. g) Quo autem nunc propius ad instituti nostri rationem nos accingamus, ipsa varia praecipuaque febrium genera ad probandam in singulis obuiam biliosam indolem, eatenus etiam vt in artis

g) conferri meretur PROSP. MARTIANI HIPPOCR. *explic. ad aphor.* 22. *Sect. I. p.* 299. *sequ.* GLASS. *comm. VII. de febr.* BARKER *essai sur la conformité de la medicine des anciens et des modernes, traduit de l'Anglois par* SCHOMBERG *p.* 159. 591. *Memorabile inprimis esse videtur assertum summi* BOERHAAVII *in praelect. de morb. nerv. T. . . p.* 460. *Excrementum corruptum febrile ex humoribus prius sanis circa praecordia ludit suas tragoedias: ita vt per talem febrilem excandescentiam mutatum, et quasi venenatum factum, praecordiisque affixum producat morbos cerebrum afficientes, dolores capitis, et deliria immania, quae excremento hoc ablato sanantur.*

exercitio attendi mereatur confpicuam, percurrere operae pretium fore exiftimamus; ab intermittentibus initium capturi.

§. IV.

Febres intermittentes, quarum character in eo pofitus eft, vt per vices impetus febriles defi- nant, perfectaque ἀπυρεξια duos quosuis paroxyfmos intercedat, *a*) in diuerfas fpecies pro periodorum diuturnitate, in quotidianas nempe, tertianas, quartanas, cet. omnesque hae vlterius, ex typi conditione, in fimplices et compofitas, veluti duplices, triplices, etiam quadruplices, diftingui peruulgatum eft. Jam vero biliofa colluuies ad primas vias collecta in febribus intermittentibus faepe tam eft manifefta, vt neque Cous ipfe, neque alii ex antiquis aeque ac recentioribus bilem pro certa illarum cauffa habere dubitauerint. *b*) CELSVS de horrore intermittentium agens, potui aquam tepidam fubfalfam, fi quis inhorruit et ex horrore incaluit, ad vomitus ciendos commendat, nam, inquit, fere horror ab his oritur, quae biliofa in ftomacho refederunt. *c*) Ideo fpontaneae per acceffiones vacuationis multae bilis infignem vtilitatem tribuit. FERNELIVS et quum ejusmodi rejectio aut nulla aut parcior exiftit, aptam intermiffionis tempore

a) V. SWIETEN *commentar. in aphor. Boerhaav. T. II. §. 727.*

b) HIPPOCR. *de natura humana Sect. III. p. 10.*

c) *De medicina l. III. cap. XII.*

pore purgationem suasit *d*). Neque dissentit Helmontivs, vtpote qui etiam circa stomachum et duodenum intermittentium febrium nidum esse statuit. *e*) Etiam Sydenhamvs felicem vomitorii ante paroxysmum propinati successum non raro se obseruasse tradit *f*). Similique modo Freindivs *g*) et Hvxhamvs *h*) vomitoria quam maxime in his febribus commendarunt. Neque Senacvs de bilis his in febribus abundantia dubitauit, eaque remedia ad illas curandas, quae bilem euacuare possent, maxime commendauit. *i*) Facile autem quisque his auctoribus assensum praebuerit, qui generaliora secundum obseruata, e praecipuis febrium intermittentium symptomatibus argumentum duxerit. Nihil enim frequentius, quam his correptos morbis nausea et appetitu prostrato, oris amaritie, praecordiorum anxietatibus, capitis dolore et grauitate affici, neque rarum, illis biliosos vomitus in paroxysmis incidere, nonnunquam et aluo praerubra et nimis biliosa excerni; praeterea quoque satis est peruulgatum, quod ejecto emetici ope humore bilioso, justo in tempore, et vbi is satis mobilis fuerit, imminui saepe aut plane praecaueri soleat instans paroxysmus, saltim ad pleniorem citioremque

d) vid. *Febr. curand. meth. gener. cap. XI.*
e) *opp. omn. de febribus cap. X. §. III. p.* 132.
f) *De febribus cap. V.*
g) vid. *commentar. ad libr. epidem. comment. IV. de vomitione.*
h) *De febribus cap. II. opp. T. II. p.* 32.
i) *De recondita febrium natura cap. III. p.* 14.

curationem plerumque viam parari. Memorabilis eſt RICH. MEADII conjectura, qui in bilem ſolummodo Peruuianum corticem vires ſuas exercere, ideo probabile habuit, quod hunc humorem in intermittentibus maxime peccare non dubitauit *k*). Etſi quidem non auſim, viri hujus ſummi opinionem de corticis Peruuiani ſpecifica in bilem virtute amplecti, hac tamen ſua argumentatione maxime videtur confirmaſſe, perpetuam ſe fere ſtatuiſſe vitioſae bilis cum febribus intermittentibus conjunctionem. E febribus autem intermittentibus nulla fere, ſyptomatibus ipſis teſtibus eſt, quae tantam redundantiam ſordium bilioſarum in primis viis, tamque manifeſte exſerit, quam tertiana, cujus naturam GALENVS in ſola bile poſuit *l*). Atque FRID. HOFFMANNVS aſſerit, nullam e febrium genere tantam recrementorum bilioſorum copiam ſibi conjunctam habere ac tertianam *m*), ejusque cauſſae ſedem potiſſimum primae regioni adſcribit *n*). Quantum in aegros febri tertiana laborantes commodum redundare queat, vbi colluuiei bilioſae ſuis e ſignis cognoſcendae ratio a medente habeatur, vel ex hacce obſeruatione RIVERII patet: laborabat aliquis tertiana et graui capitis dolore pungente et lancinante, dimidiam capitis partem occupante, qui vomitorio ſumto, ejecit libram vnam bilis porraceae,

dein

k) *In monitis et praeceptis medicis* p. 22.
l) *De different. febrium l.* II. *cap.* III.
m) *Medic. ſyſtem. Tom.* II. *P.* I. *Sect.* I. *cap.* 1. §. *XV. p. m.* 13.
n) *l. cit.* §. IV.

dein rurfus pari quantitate alia vice reddita, omni capitis dolore liberatus fuit *o*). Neque febres illae intermittentes, quae aliquando epidemice graffantur atque peculiari genio confpicuae incedunt, ab hac indole biliofa excludi poterunt, fiquidem haud raris auctorum obferuationibus confirmatum deprehendimus, bilis corruptae circa praecordia fluctuantis indicia, illas quam faepiffime exhibere *p*). Immo atrocioribus illis quoque fymptomatibus, quae nonnunquam cum epidemicis ejusmodi febribus conjuncta obferuantur, fecundum virorum optimorum obferuata, magnam partem humores biliofi ad praecordia ftagnantes anfam praebent *q*). Ad quartanas etiam colluuies haec biliofa primarum viarum fe extendit, quamuis non tam frequenter ac in tertianis manifefte biliofa fint, quae in praecordiis turgent, excernenda, et aliquando in vifceribus firmius impacta, minus mobilis crudaque, diu haeret, febrilis materia; non raro tamen etiam fapor amarus, et naufea, et fenfus alicujus circa praecordia plenitudinis, et ἀνορεξία, acrioris et vitiofae bilis noxam in hifce febribus indicant, licet illa in-

o) vid. *cent.* I. *obferu.* 27.

p) vid. SYDENHAM. *de febrib. Sect.* III. *cap.* III. FR. HOFFMANNI *med. Syft.* T. IV. *p.* I. *Sect.* I. *cap.* IV. §. III. *p.* 105. *et p.* 108. §. VII. PRINGLE *von den Kranckh. einer Armee. I. Th.* 6. *cap. p.* 58. HVXHAM. *de aere et morbis epidem. edit.* REICHEL. *p.* 261.

q) vid. WERLHOF *obferu. de febribus p.* 27. MEDICVS *Sammlung von Beob. aus der arzeneywiffenfchaft*, *et* SENACVS *de rec. febr. interm. natur. cap.* XIV. XVII.

incommoda nonnunquam poſt adhibita demum aperientia medicamina obſeruentur. Quamuis vero minime exiguam medentium attentionem ad impuritatem qualemcunque primarum viarum, inprimis illam colluuiem bilioſam, in vtroque hoc febrium genere, valde neceſſariam eſſe exiſtimamus; nequaquam tamen ideo iis adſtipulamur, qui febres haſce ſine impura prima regione exiſtere poſſe negant, multoque minus iis, quibus ipſa bilis copia aut acritate excedens vnicam illarum cauſam videtur conſtituere. Pergunt haud raro intermittentes aeque tertianae ac quartanae, etiamſi corruptelae humorum ad primas vias delatorum nulla plane indicia ſuperſint. Atque per maxime frequentem obſeruationem certiſſimum eſt, purgantibus non modo intercalari quodam die vſurpatis, proximum paroxyſmum ſaepe grauiorem, et ἀπυρεξίαν breuiorem reddi, verum et ſolo purgante, ſublata plane febri, integraque ſanitate, quoad omnem ſenſum reſtituta, eundem morbum facillime reuocari poſſe, cum inprimis illud remedium certis iis in hebdomatibus aſſumatur, quibus ad reproducendam febrim naturam proniorem eſſe, ſola conſtitit experientia *r*). Praeterea quum etiam primis in viis alienos humores ſedem habere, quibus morbus foueatur, certo innoteſcat, iisdem tamen excuſſis cum leuamine, bilis quoque haud raro characteribus deſtitutam illorum materiem deprehendimus. Vnde HOFFMANNVS quoque

r) WERLHOFII *obſeru. de febr. Sect. IV.* §. 4.

que vel ipsa in tertiana febre bilem intemperatam pro illius caussa admittere dubitauit, potiusque materiem esse asseruit, excrementitiam salino sulphureae et actiuae indolis aliam, *s*) quamuis dein passim biliosorum recrementorum copiam, et biliosam acrimoniam accuset. Hoc tamen ex propositis pro certo colligendum existimamus, multas reperiri tertianas et quartanas nonnullas febres, quibus biliosarum nomen recte tribuendum sit, alias autem esse, ex harum classe excipiendas. Febres quotidianae, quarum non eadem auctorum est descriptio, siquidem HIPPOCRATES eas a plurima bile oriri docet, *t*) GALENVS vero *v*) et qui in hujus febris descriptione eum sectati sunt, LOMMIVS *x*) et v. SWIETEN *y*) aliique, in pituitae abundantia earum naturam posuere. His sententiis contrarius quidem HVXHAMVS, proxime ad conditionem febrium strictius inflammatoriarum eas accedere tradidit *z*): verumtamen indolem biliosam interdum iis etiam conuenire, notante HOFFMANNO, ructus, nausea, conatus vomendi, inappetentia, et praesertim foetidus et amaricans oris sapor, febrisque per vomitus, et alui dejectiones biliosas contingens, solutio *aa*) vtique satis probant.

§. V.

s) *Med. syst. T.* II. *P.* I. *Sect.* I. *cap.* 1. §. III.
t) *de natura humana. Sect.* III. *p. X.*
v) *de differentiis febrium l. II. cap.* 1.
x) *Obseruat. medicinal. p.* 10.
y) *commentar. in aphor.* BOERHAVII. *T. II.* §. 746.
z) *Oper. med. T. II. cap. XI. p.* 32.
aa) *Med. syst. T.* VI. *p.* 1. *cap.* III. §. XI. *p.* 88. *et* §. III. *p.* 93.

§. V.

Manifeſtior quidem longe conſenſus eſt medicorum, quoad febres intermittentes, in culpanda humorum ad primas vias praeter naturam delatorum, admixtaeque his bilis ipſius, noxa, quam vbi continuarum et acutarum conditiones, quae conſilia medentium dirigerent, exponunt. Nullum vero eſt febrium acutarum genus, quod a διαθεσει biliofarum magis remotum a multis habeatur, quam quod a conjunctis inflammationibus cognomen obtinuit. Sunt equidem ex artis principibus, qui ad inflammatoriam peculiarem denſitatem ſanguinis, vt praecipuam, ſi non vnicam harum febrium cauſſam in vniuerſum reſpicientes, vnicam iis tantum medendi rationem, quae antiphlogiſtica dici ſolet, et in qua primas tenet ſanguinis miſſio, commendant. Verumtamen ab hac ſimpliciori indole maxime differunt, iis, noſtris minimum in regionibus, vix rariores, quae manifeſtis quidem cum ſignis inflammationis praeſentis incedunt, ſimul tamen ordinaria colluuiei biliofae indicia vario gradu ſibi juncta habent, et peculiarem ideo medendi methodum poſtulant. Quum nempe in iis hujus generis febribus, ſanguinem largiter et pluribus quoque vicibus tuto liceat detrahere, in quibus nullus a turgente in praecordiis humore bilioſo metus locum habet, modo nec diatheſin putridam ſanguis aliunde conceperit, in aliis contra, vel non ſine multa cautione vix ſemel, vel plane non, ſine

noxa

noxa mitti sanguis potest, pro varia ratione orgasmi, in quo congestus ille ad praecordia vitiosus humor constitutus fuerit, varioque gradu putridae corruptionis, qua et reliqui humores infecti sint, et vicissim purgatio, quae prioribus nociua et facile funesta euadit, posterioribus maxime conducit. Insignis momenti primum haec differentia in febribus pneumonicis inflammatoriis est, dum harum in curatione febrium, plerumque peracutarum, et graviori cum periculo aegrorum ad finem suum properantium, etiam qui exiguus initio apparere potest error, in magnum tamen vitae periculum aliquando aegrum praecipitare valet. Adhortatur ideo etiam BAGLIVVS medicos, ad pleuritidem vocatos, vt probe inuestigent, an indigeat aeger venae sectione, vel potius catharsi *a*). Neque semper vnam hujus morbi conditionem esse, ita vt illud ordinarium, in hac febre vniuersaliter a plerisque commendatum remedium, nempe venae sectio, semper locum habeat, ex verbis patet HVXHAMI, alias in pleuritidis curatione non haemophobi, *pleuritides dari*, inquientis, *quae venae sectionem nullo modo permitterent* *b*). Et omnino necesse est, cautius venae sectionem instituere in eis pleuritidibus, in quibus bilis turget, ob quam et HIPPOCRATES jam sanguinis missionem dissuasit *c*). Differentiam enim

a) v. *oper. omn. Appendic. ad pleuritid.* §. *I. p.* 40.

b) *Operum physic. medic. Tom. II. cap. IV. p.* 220.

c) *Epid. L. II. Sect. V. coac. n.* 491. *et* PROSP. MARTIAN. *Hipp. explic. p.* 411.

enim constituendam esse inter pleuritides biliosas et minus tales, veteribus haud ignotum fuit, quum et ipse HIPPOCRATES illas in sanguineas et biliosas clare distinxerit, eamque differentiam in curatione quam maxime obseruauerit, dum aegrum, si natura biliosior fuerit, medicamento bilem probe purgare iusserit *d*). Similique fere ratione ALEX. TRALLIANVS et morbi ipsius et curationis differentias tradidit, medicos etiam vulgares sui temporis reprehendens, qui cauerent, ne pleuriticum aliquando purgent, ipsamque purgationem in biliosis inprimis corporibus fieri debere praecepit *e*). Hanc differentiam tam egregie a veteribus delineatam, omnino dein ex recentioribus plures neglexere, in suisque scriptis febres pectoris inflammatorias quoad indolem mere inflammatoriam considerarunt, suamque in his febribus medendi methodum forsan a morbi nomine, non ex aegrorum constitutione tradiderunt. Ita magni BOERHAVII, HOFFMANNI et TRILLERI scripta omnino de hac differentia silent. Neque immortalis SYDENHAMVS in cap. de pleuritide satis hunc morbum in commoda medentium distinxit, quamuis alio loco dixerit, pleuritides dari, quae venae sectionem ferre nescirent *f*). Sordes autem in primis viis collectas vario gradu biliosas, pecu-

d) *L.* III. *de morb. C. XIX. et Cap. XXII. XXV.* LIND. *T.* II. *p.* 109. *seqq.*

e) *Libri VI. Cap.* I. Conferri etiam meretur ARETAEVS *de morb. ac curat. L. I. c. X. edit.* BOERH. *p.* 93.

f) *Oper. medic. cap. V.*

peculiare discrimen inter hos morbos constituere, et ob illas, curationis ordinariae tramitem inuertendum esse, Baglivvs docere videtur, dicens: *pleuritidem aliquando tolli debere, etiam in principio morbi, sed non inflammationis caussa, verum ratione materiae morbosae, magna copia primis in viis collectae ac pleuritidem immediate producentis atque quotidie fouentis* g). Hujus asserti veritas etiam aliorum experientia confirmatur, dum, vbi turgentibus sordibus biliosis in his febribus vena secaretur, omnia saepe in pejus ruere, dolores augeri, pulsum debilem fieri, et vel in lipothymias aegros incidere, notatum fuit; quum contra, si sub conditione plane simili, justa sub cautione euacuantia exhibita fuerunt, melior sensim, et quidem breui nonnunquam tempore, aegrorum status apparuit *h*). Sibi etiam Tissotvs omnes, quibus in peripneumonia biliosa sanguis detractus fuerat, mortuos; quibus autem omissa venae sectio, adhibitaque euacuantia fuerunt, seruatos esse retulit *i*). Aliquando, et forsitan saepius, vbi sordes biliosae in curatione neglectae fuerunt, icterus vel critice *k*), vel symptomatice *l*), se associauit, claro argumento, febres

g) *Opp. omn. appendic. pleurit. §. I. edit. Lugd. p.* 40.

h) *Edimb. Vers. und Bemerk. T. V. p.* 35.

i) *Dissert. de febribus biliosis p.* 130.

k) FORESTVS *l. XVI. obs. XXXV. in scholio.*

l) MORGAGNI *de causis et sedibus morborum per anatomen indagatis, epist. 49. art. X.*

bres pectoris inflammatorias biliofas maxime a fimplicioribus, indolis mere inflammatoriae, diuerfas effe. Hinc non ad fola pleuritidum figna pathognomonica, ex pulfu, refpiratione, dolore petita, et quae majori ex parte vtrique pleuritidum generi communia funt, a medente refpiciendum, fed fimul ratio habenda eft eorum fymptomatum, quae a bile originem trahunt, et quae fatis facile ex fapore amaro, lingua fordida, et fecundum DVRETVM bile fuffufa, ex naufea, propenfione ad vomendum, ipfisque biliofis vomitionibus, auerfatione a victu animali, capitis dolore, ex facie magis flaua, deliriis, etiam tremoribus, affectionibusque foporofis, defumuntur.

§. VI.

Eodem quoque modo res fe cum angina inflammatoria habere videtur. Ea quidem faepe indolis mere inflammatoriae eft, ita vt lingua vel omnino pura, vel tenui faltem albido muco obducta, neque caput affectum fit, neque alia figna biliofae colluuiei fe exferant, vbi et fola methodus antiphlogiftica, cum gargarismis difcutientibus, et quibusdam externe nonnunquam applicandis, totam curationem abfoluere folent. Aberrat autem non raro ab hac indole, et ipfis cum fignis inflammationis partium internarum pharyngis, et veli palatini, vel etiam laryngis, faburra biliofa, in praecordiis haerens, manifefte cognofcitur; quae nem-

pe

pe per linguam fordidam, faporem amarum, moleftumque cum anxietate fenfum diftentionis in epigaftrio, ipfius etiam inflammationis augmentum, vbi vel optimis adhibitis antiphlogifticis, aliisque inflammationi foluendae alias idoneis, euacuatio tamen primae regionis intermiffa fuerit, fefe exferunt, differentiamque inter anginam fimplicem et biliofam conftituunt. Idque discrimen per curae fucceffum, fi indolis biliofae ratio habetur, et per malum vel faltem minus profperum euentum, vbi fine difcrimine venaefectio et catharfis celebrantur, fatis confirmatur. Requirunt enim tales anginae biliofae, praeter cetera remedia, huic morbo commoda, talia etiam, quae e latebris vifcerum hypochondriacorum biliofos humores, quum hi fatis mobiles apparuerint, eliminare poffint. Ideoque Savvages nil vtilius in angina biliofa effe ait, quam vomitionem tartaro ftibiato promotam, atque jam ante vomitionem guttur liberari et fubleuari poffe retulit *a*). Et Hvxhamvs, in fimili etfi quidem pro maligna fimul habita angina, vbi naufeae et vomitus vrferunt, emeticum praefcripfit, de quo refert, quod faucium dolorem minime auxerit, vt facile quis alias putare poffet, fed potius eam infigniter imminuerit *b*).

a) vid. *Nofolog. method. Tom.* II. *p.* 1. *pag.* 486.

b) *Oper. phyfic. medic. T.* III. *p.* 112. *Conferri poterit Hift. morb. Vratislav. ex edit. Halleri, p.* 44.

§. VII.

Difcrimen etiam fimile rheumatismos inflammatorios quam certiffime intercedit. Sunt enim rheumatismi cum febre mere inflammatoria juncti, in quibus ne vllum quidem fymptoma, quod bili adfcribi poffet, fe exferit, et qui, vt aliae fimplices febres inflammatoriae, decurrere fanarique folent. Sunt vero tales etiam, in quibus fordes biliofae, ad primas vias delatae, non modo manifefte fe exferunt, fed etiam tanquam atrociffimorum in partibus mufculofis dolorum cauffa fe gerunt, et in quibus venarum fectiones repetitae tantum emolumenti nequaquam praeftare ac in aliis mere inflammatoriis, toties obferuatum fuit, verum potius in nocumentum varia ratione cedunt, quum contra euacuantia, vbi fatis praeparata materia fuerit, infigne dolorum leuamen, plurimumque adjumenti, ad curationem citius tutiusque perficiendam, adferre queant *a*). Ex pluribus, qui eximium euacuantium in hoc morbo vfum obferuarunt, Mvsgravivs inprimis hic laudari meretur; *ad rheumatismi dolores* inquiens *minuendos, fupra quam quis expectaret, vomitionem conducere, fed vehementem, fed iteratam b*). Pergit idem auctor, *fe affirmare poffe, per infufionem croci metallorum rheumatismum grauem et permoleftum penitus et radicitus exftirpari.* Ait etiam

a) Conferri merentur quae tradit SYDENH. *Epift. refp. ad Rob. Brady, oper. edit. Lugd.* 1754. *p.* 319-321.

b) De *arthritide fymptomatica, cap.* II. §. *VIII.*

etiam HVXHAMVS rheumatismos dari, vbi per initium vomitus excitandi fint c). Et quamuis nec MVSGRAVE nec HVXHAMVS conditiones afferant, fub quibus tantum in hoc morbo vomitoria efficiant, facile tamen patet, eum ftatum, fub quo conueniunt, non mere inflammatorium effe, in quo nempe vomitoria peftifera funt d), fed humorem quendam prima ex regione educendum adeffe debere, qui per confenfum vel qualicunque alia ratione dolores rheumaticos fiue producere, fiue augere aptus fuerit. Eumque inprimis noxiam fuam a bile admixta poteftatem nancisci vel ideo maxime probabile cenfendum, quod illius in fanguinis impetu augendo, fecundum experientiam, tam infignis efficacia fit. Sed licebit etiam ad Excell. Praefidis et Praeceptoris ad cineres vsque venerandi experientiam prouocare, qui pluribus vicibus rheumatismorum inflammatoriorum eam naturam difcrepantem fe obferuaffe mihi affeuerauit, publiceque docuit, quum viderit quidem, fola methodo antiphlogiftica et maxime phlebotomia fublatos, fed alios etiam, quibus praeter haec remedia, quod colluuiem biliofam in primis viis manifefte praefentem deprehenderit, ne quidem purgantibus repetitis fenfibiliter imminuendam, neceffaria etiam vifa fint emetica, quorum vi excuffis fordibus amaris, dolores infigniter leuati, faciliorque multo reliqua

c) *Oper. phyfic. medic. T. I. p. 364.*

d) vid. *Tiffot, avis au peuple Tom.* I. §. 29.

curatio reddita fuerit. Neque raro praeterea in cognatis huic morbo arthriticis et ipſis podagricis affectionibus, ſimilis vitioſa materies in praecordiis accumulata deprehenditur, qua caute, et praemisſis quae forte neceſſaria fuerint, eliminata, omnes ſaepe dolores vel praecauentur, vel imminuuntur, vel plane quoque auferuntur *e*). Monet etiam HOFFMANNVS, his aegris ſordes bilioſas per blanda laxantia educendas eſſe, quia ad rheumaticum morbum fouendum et ſuſtinendum, ejusque vim augendam multum conferre ſolerent *f*). In colica Damnoniorum epidemica, morbo, bilem copioſam in primis viis, ſed acido admiſto corruptam fouente, haud exigua in bilem culpa cadit rheumatismorum, qui illi morbo acceſſerunt, quam ipſi evacuantium effectus, et inſignis vtilitas comprobarunt *g*). Satis ergo ex variis hisce obſeruatis apparet, rheumatismos febriles et inflammatorios non ſemper eſſe ſimplicis phlogiſticae naturae, ſed interdum praeſentem quoque in primis viis colluuiem humorum bilioſorum, peculiaris inſtar conjunctae cauſſae, medentis attentione dignam eſſe, pluresque hujusmodi rheumatismos bilioſorum cognomine aptiſſime inſigniri poſſe.

§. VIII.

e) vid. SYLVII. *oper. med. p.* 786. HILDAN. *cent. VI. obſ.* 84.
f) vid. *med. ſyſt. T. IV. P.* II. *P.* II. *C. VIII. curat.* §. *VIII. p. m.* 442.
g) vid. HVXHAMI *oper. phyſ. med. T. II. c. VIII. p.* 57. *et* 76.

VIII.

Neque humorum biliosorum noxa in febribus exanthematicis deficit, atque talis quidem, cui peculiaris medela conueniat. Ad classem vero febrium exanthematicarum primo loco febres erysipelaceas referimus, quae prae caeteris frequentius biliosarum sordium in primis viis collectarum indicia manifesta conjuncta habent, vt etiam a majori vel minori harum sordium copia morbi hujus vehementia leuitasque dependere videatur. Egregie hanc morbi hujus indolem GALENVS descripsit, qui *ex bilioso succo erysipelas nasci a*), et alio loco, *amaram bilem, cum in corpus redundat, morbum regium, cum vero vnam quampiam particulam obsidet, erysipelata & vlcera serpentia efficere*, asserit *b*). Atque symptomata, vt dolores capitis, conatus vomendi, ipsique vomitus biliosi, lingua sordida, sapor amarus, in hoc morbo, si alicujus vehementiae est, tam vulgaria, vix de biliosi humoris in primis viis praesente colluuie dubitare permittunt. Indeque GALENVS, vt in bilioso succo naturam hujus morbi posuit, simul etiam ejus in curatione quam maxime rationem habuit, dum in hoc morbo nullum remedium efficacius esse ait quam bilem expurgans *c*), cui etiam sententiae HOFFMANNVS *d*) et TISSOTVS *e*)

 cum

a) *De methodo medendi. l. XIV. cap. I.*
b) *De symptomatum caussis. l.* III. *cap.* II.
c) *De purgantium medicamentorum facultate cap. V.*
d) *Diss. de bile medicina et veneno corporis.*
e) *Avis au peuple cap. XIX.* §. 227.

cum bilem pro vnica hujus morbi cauffa habent, fubfcribunt. Quae ergo phaenomena de indole hujus morbi biliofa teftantur, ea per genuinae curationis in hoc morbo fucceffum vlterius clare confirmantur. Etfi quidem venaefectioni hoc in morbo locum effe TISSOTVS concedat, fi febris vehemens, pulfusque durus fuerit, nunquam tamen multum fanguinis e vena mittendum effe docet, potius quam maxime eodem monente neceffarium eft, vt bilis abundans e corpore eliminetur, eumque ad finem adfequendum, emetica faepe laxantibus praeferri debent *f*). *Notum eft jam dudum*, ait alibi TISSOTVS, *eryfipelatum fomitem fedem habere vulgo circa veficulam fellis, nec melius exterminari quam emeticis aut catharticis. Cl. D' Arluc defcriptionem huc pertinentem tradidit eryfipelatis capitis cum faeua febre epidemice graffantis et emefi fanandi* in Recueil period. T. VII. p. 55. *Tres obferuaui cafus in noftra epidemia, qui fyftema adftruunt; nefcio enim qua proteiformitate materia biliofa ad cutim delata vehementiffimam induxit febrem et fpeciem eryfipelatofae eruptionis, pectus, collum, brachia, femora, cum fummo pruritu, imo et fauces cum leui angina occupantis et demum exulcerantis; nihil profuit nifi alui ductio repetita et acida medela g*). Etiam SYDENHAMVS, quamuis venaefectionem inftituerit, euacuantibus tamen femper interpofitis morbum mitigauit *). Eandemque ab his viris propofitam

fitam

f) *l. c.* §. 280.
g) *De febr. biliof. p.* 161.
*) *oper. omn. Cap. VI.*

sitam medendi methodum MEAD merito probat atque extollit: dum *nullum sane alium quemuis morbum acutum facilius iteratam purgationem ferre*, tradit, *praesertim vbi cum tumore inflammatio caput obsidet h*). Eandemque sententiam BIANCHI *i*) et FREIND *k*) maxime confirmant, quorum hic, et vehementi faciei erysipelate laborantem, jam deliriis aliisque vehementissimis symptomatibus affectum, purgantibus quater quidem frustra jam adhibitis, tandem tamen, rebus in pejus ruentibus, per efficacius purgans, quo quinquies aluus subducta fuit, ex orci faucibus eripuit. Haec itaque medendi methodus tam felici beata successu, satis demonstrat, qualis hujus morbi indoles sit, et quod bilis, nisi pro vnica, pro praecipua tamen hujus morbi caussa haberi mereatur.

§. IX.

Progredimur ad purpuram, cujus equidem varias differentias, ex origine, exanthematum colore, morbi benignitate et malignitate desumtas hic omittimus, et solummodo pro nostro scopo hic inquirimus, an colluuies biliosa primarum viarum in hoc morbo locum habeat, ob quam in ejus medela differentia constituenda sit. Minime autem hujus morbi genus memorati vitii immune esse, sed bilem

 quo-

h) *v. Mon. et praecept. med. Cap.* I. *Sect. VI. p. m.* 17.
i) *histor. hepat. T.* I. *p.* 43.
k) vid. *comment. VIII. de febribus. p. m.* 51. 52.

quoque corruptam faepius in primis viis fouere, HOFFMANNVS teftatur, qui ob eam etiam clementioribus purgantibus atque vomitoriis nonnunquam ineundam effe curationem docet *a*). Puerperas, quibus hic morbus tam vulgaris eft, faepius ob fordium, in primis viis tempore grauiditatis collectarum, expurgationem neglectam hoc morbo affici, idem animaduertit, ftatimque generatim fubjungit: *aliquando prima regio corrupta, ac impura materia repleta, vel leuis animi affectus, vt ira, terror vel improuida corporis refrigeratio illam commouendo et fanguini inuehendo, febrim fufcitat exanthematicam b*). Memorabilis vtique hoc loco HIPPOCRATIS eft obferuatio, qui etiam *fuppreffo biliofo alui profluuio, fi faftidium fit, exanthemata circa cutem efflorefcere, oculos quoque inflammari, et illacrymari* pronunciavit *c*). Exanthemata autem hac ratione concitata aliquando miliaria fuiffe, HOFFMANNO tefte, obferuatum eft, qui acutis in febribus, in variolis, et morbillis, fi aluus diutius adftricta eft, vel diarrhoea contingens fiftitur, purpuram fubfequi folere animaduertit *d*). Summe ergo neceffarium eft, probe ad colluuiei iftius in praecordiis delitefcentis figna hoc etiam in morbo refpicere, quae, quamuis, cum purpurae mitior gradus eft, vix confpiciuntur, plerumque tamen, fi in majori gradu febris vrget, et vehe-

a) vid. *diff. de duodeno multorum malorum fede.* §. 22.
b) vid. *Med. fyft. T. IV. P.* I. *S.* I. *cap.* IX. *obf. V.*
c) *Coac. n.* 208.
d) vid. HOFFM. *med. fyft. l. c. obf. V*III.

vehementioribus fymptomatibus, vt affectionibus foporofis, deliriis vel tranquillis vel phreneticis ftipata eft, hypochondria affecta, bileque redundantia in eadem obferuantur. Ipfaque natura, quae faepius in hoc morbo per aluum materiam biliofam relegat, eoque aegris leuamen conciliat *e*); clare oftendit, impuritatem illam biliofam non negligendam effe, fed fummum indicans conftituere, fecundum quod jam a morbi initio cura dirigenda fit, ad grauiora fymptomata, quae, vt modo diximus, huic morbo faepius fe affociant, et quae plerumque in praecordiorum vitiis fuam cauffam agnofcunt, praecauenda.

§. X.

Variolae quoque, etfi per contagium vnice apud Europaeos, aliasque gentes, Afiaticas et Americanas, excitentur, maxime tamen difcrepante incedunt curfu, pro varia corporum aegrotantium conditione, et pro diuerfa temporum anni, tempeftatum, et regionum, diuerfitate, ipfaque varia et faepiffime abfconditae originis epidemica conftitutione. Secundum puftularum fpeciem, febrisque conjunctae indolem, variolas varia in genera difpefci folere neminem latet; qui artis modo compen-

dia

e) vid. GODOFR. WELSCH. *hift. med. nouum iftum puerperarum morbum continens, qui ipfis der Friefel dicitur*, §. 452. *et* Ioh. *Godof.* SALZMAN *hiftoria purpurae miliaris albae. Argentor.* 1736.

dia delibauit *a*). Si vero morbus aliquis datur, qui diuerfa fub facie frequenter obferuatus fuit, qui modo fola phlogiftica diathefi confpicuus, modo biliofae naturae, modo mediae, quafi catarrhalis, modo putridae, modo neruofae indolis, modo denique vario modo ex hifce complicatae conditionis fit, variolae inprimis eo nomine videntur eminere *b*). De reliquis equidem variolarum hic notatis conditionibus, praeter illam humorum bilioforum ad primam regionem confluentium, vtique plura videntur apud Auctores etiam praeftantiores, obferuata reperiri; verumtamen nec defunt, quae peculiarem hunc biliofum variolofi morbi genium confirmare queant. Nemo eft medentium, qui vel ad ipfas hominum diuerfas conftitutiones accuratius attenderit, aut veterum artis antiftitum opera perluftrauerit, neque inde perfuafum habeat, ejusmodi dari haud pauca corpora, quae ad bilis abundantiam, ejusque in primas vias jufto majorem effufionem, et orgafmum inde oriundum, aeftate praefertim et autumno proniora fint, vbi animi quaedam oritur commotio, aliaue ratione neruofum fyftema fortius afficitur, aut febris aliqua non mitiffi-

a) Ad plurima variolarum difcrimina pernofcenda commodiffime inferuire poterit *cap.* XII. in ROSEN a ROSENSTEIN *Anvveifung zur Kaentnifs und Kur der Kinderkranckh.*

b) Vix accuratius haec vllibi quis expofita reperiet, quam in HVXHAMI *diff. de variolis.* Videtur tamen et quoad perutilem hanc partitionem permultum praeftitiffe ELLERVS in *obferuat. de cognofcendis et curandis morbis praefertim acutis* p. 134. et feq.

tiffima aliunde excitatur. Vt vero haec vltima conditio nemine refragante, primo in ftadio variolofi morbi non deficit, fic et peruulgatum, quantus in multis, nondum hunc morbum perpeffis, dum modo periculum perpendere norint, vbi propinqua fuerit epidemia, fit metus de contagio forfitan concipiendo, quantus terror, vbi inopinato fub illorum confpectum venerit alius homo, puftulis vel etiam inde relictis modo maculis obfitus. Vix ergo dubitandum videtur, quin haud valde raro medentis attentionem poftulet abundans in prima regione acriorque folito bilis, cui et majoris vehementiae febris, variorumque, praefertim capitis grauiorum fymptomatum cauffa, quoad partem haud exiguam tribui queat. Accedit, quae haud improbabilis plurium auctorum fententia eft, ipfum quoque variolofum miafma, vt morborum plurium, qui infenfibili contagio propagantur, faliuae admifceri, cum illa deglutiri, humores naturaliter ad ventriculum atque duodenum deductos, qualicunque ratione inde corrumpi, atque hinc facile atrocia varia fymptomata praecordiorum affectorum concitari. Quodfi autem vlterius ea incommoda perpendamus, quibus variolofo miafmate infecti, primo in morbi ftadio, gradu vario affici folent, dolorem praecordiorum lumborumque, naufeam, capitis dolorem, et grauitatem, vertiginem, foporem, aut peruigilia, deliriaque, quae omnia Hippocratica fecundum obferuata, et fatis frequentem aliorum experientiam

in

in febribus biliofis folemnia funt, atque vel fpontaneis, vel caute excitatis vomitionibus biliofis leuantur, omnino nonnunquam biliofae colluuiei quid cauffae illorum fymptomatum adfcribendum exiftimamus. Verum plurimum abeft, vt ad euacuantia tunc femper in prima variolarum febre vfurpanda, e fymptomatum memoratorum praefentia argumentum ducere fuftineam, quum fatis conftet, nullum faepe indicium periculi iftis cum fymptomatibus conjunctum effe, eademque haud raro, quam primum eruptio exanthematum inceperit, plane ceffare, naturaeque foli tuto nonnunquam integrum defpumationis humorum, et quidquid illarum fuerit, impuritatum officinae chyli expurgationis lentae negotium committi poffe. Quin etiam non dubitem, noxiam in multis exemplis habendam effe, imo in quibusdam perniciofam methodum illam, pro vniuerfali traditam a SAVVAGESIO, qui in difcretis aeque benignis, ac in iisdem malignis, praeterea et in confluentibus, poft phlebotomiam femel aut bis inftitutam, generatim, fine vlla exceptione adpofita, emeticum, atque dein, nifi vrgeat eruptionis tempus, cathartica fubjungere fuafit *c*). Neque defendere aufim in Io. CAR. SPIESSII methodo, ad variolas infallibili ipfi dicta, quam fummus WERLHOFIVS breuibus recenfuit *d*), quod ille pro generali regula fumferit, tum primo in principio, ad

ipe-

c) *Nofol. method. T. II. P. I.* p. 872. et 880.

d) *De variolis et anthracibus* p. 95. *n.* 108.

ipecacuanhae aliquam dosin confugiendum, tum venae sectionem plane omittendam esse. Certissime vero longe minus probari merebitur variolis medendi ratio GVNDELSHEIMERI, qui singulis alternis diebus medicamentum emetico catharticum e tartaro emetico et manna aut cassia compositum praebuit. Etsi quidem eam ob rationem nequaquam emeticum dissuadere ausim, quam PLENCIZ methodo GVNDELSHEIMERI opponit, quod credat; *vnumquemque a studio partium alienum facile cognoscere, quantum deliria et deglutitio difficilis ab emetici vsu superiora versus augeantur e).* Aliter enim PLENCIZIVM judicaturum fuisse non dubito, si attendisset, quae van SWIETEN ex propria sua, et praeceptoris sui, magni BOERHAVII, obseruatione memorauit: *monitus ab optimo praeceptore, frequenter satis delirii in febribus caussam esse sordes circa praecordia collectas, postea attentus huic rei, vidi saepius hoc verissimum esse, et vnico vomitorio dato, excussa hac saburra, recordor plures ilico resipuisse f).* Placent quae tradit LVDWIGIVS g). *Euacuantia, et vomitoria et laxantia, varioloso morbo laborantibus non exhibenda sunt, nisi indicatio specialis vrgeat.* Eam vero indicationem aliquando adesse, mihi quidem negandum esse minime videtur. Vomitiones enim spontaneas vel cruditatum ab alimentorum minus recte digestorum reliquiis, vel humoris biliosi, vel pituitae, summo cum

leua-

e) *oper. phys. med. Tract. II. de variolis.* §. 168. et 169.

f) *comment. in aph.* BOERHAV. *T. II.* §. 701. p. 127.

g) *Institut. med. clin.* §. 189.

leuamine haud raro morbi initio incidere, et medicorum et vulgi certa obſeruatio eſt. Ideo autem dubitari nequit, vbi ſigna quis commodi ex vomitu obtinendi deprehenderit, languente nimis conatu ad expellenda, quae ventriculus noxia contineat, ſuadendum omnino vomitorium eſſe. Neque vel hac ſola ex ratione vniuerſali aſſerto TISSOTI adſtipularer, *emetica*, inquientis, *et purgantia perniciosa ſunt remedia in hujus morbi initiis h*). Credendum vtique SYDENHAMVM emetici utilitatem plus ſemel in variolarum initiis obſeruaſſe, cum poſt oppoſita ejusdem vſui dubia, aſſerit *i*): *his non obſtantibus, ſi vel minimum ſuſpicari licet, variolas modo erumpentes, e confluentium genere futuras eſſe, vtile prorſus erit, vt non ſolum ſanguis quam primum mittatur, ſed et emeticum propinetur*, et alibi, de eadem hujus morbi ſpecie agens *k*): *neceſſe erit, aliquot horas poſtquam ſanguis miſſus fuerit, emeticum eradicatiuum ex infuſione croci metallorum exhibere, quod non ſolum materiam, a qua oritur aegritudo iſta inſolentior, nempe intenſior febris, vomitus enormis, vertigo, artuum dolor, quaſi rheumatiſmus, foras propellit, ſed etiam aegrum ita refocillat, vt jam quaſi ſanus lectulo abeſſe queat.* Nolim tamen acquieſcere in hiſce a SYDENHAMO traditis indicantibus, etſi ejus obſeruatis fidem ſummam quam lubentiſſime praebeam. Non ſuaſor eſſem ſumendi emetici, cum exactius putrida febris, quam

h) *Auis aux peuple* p. 370. 38c.

i) *Oper. edit. Lugd.* 1754. p. 146.

k) p. 370. 380.

quam HVXHAMVS malignam et ex genere pestilentialium vocat, pessimusue corporis habitus scorbuticus, varioloso morbo juncti sint, quamuis etiam confluentes praeuideantur *l*). Neque vero denegarem emeticum aegris, quibus ex lenta neruosa pustularum eruptio tardat, quum etiam nulla fuerint confluentium futurarum indicia, eodem etiam praeeunte laudatissimo HVXHAMO *m*), quamuis haud semper in hac febris variolosae specie necessarium quoddam euacuans judicem *n*). Neque etiam videtur dubitandum, quin emeticum, vbi benignae discretaeque variolae expectandae sunt, exhibere licitum sit. Vidi ipse optimum plane neque satis extollendum successum ab emetico, quod Excell. Praeses meus dedit amico, hujus academiae studioso, in quo insitione variolas excitauerat. Hicce per artem infectus, quum ad febris initium vsque, optime valuisset, neque nisi concessa sibi alimenta vegetabilia, molliora, humida, sumsisset, mane alterius diei febris nauseam insignem sensit, et sponte natum in ore valde aduersum saporem, simulque nonnihil vertiginis atque doloris in capite, quo tempore tamen febris valde mitis reperiebatur. Exhibuit Ill. Praeses tartari stibiati dimidium saltim granum in aqua solutum, vnde post horae fere quadrantem vomi-

l) HVXHAM *de variolis opp. T. III. p.* 12. *Conf. T. I. p.* 345. 346.
m) *ibid. T. II. p.* 134.
n) *Elleri obseruat. de cognit. et curat. morb. p.* 145. 146.

vomitus, isque vnicus modo fequebatur, aduerfi faporis humorem excutiens, cum quo naufea omnis plane ceffauit, aegerque maxime refocillatus fuit, neque vllum obtinuit amplius medicamentum, donec tandem leniter purgaretur, poft puftularum factam exficcationem, quarum numerus non vltra fexaginta fuerat. Ipfe quoque mihi Ill. Praefes atque Praeceptor fumme venerandus faepius narrauit, fe pluribus vicibus, cum turgentes, primo, fecundo vel tertio febris die, praecordiorum fordes, inprimis biliofas, communibus ex illarum fignis animaduertit, non dubitaffe, exigua quadam emetici dofi, etiam aliquando potu tepido aquofo mellito, eximio femper cum leuamine aegrorum, vomitum proritaffe, femperque tunc integrum morbi decurfum faciliorem mitiorem atque tolerabiliorem, quamuis multae puftulae fucceflerint, fe obferuaffe. Eadem fere fententia eft Hvxhami, quum indicantia emetici, initio hujus morbi exhibendi, ex naturae moliminibus, praefenteque faepe colluuie lenta, biliofa, putrida, quae in ventriculo, hepate, fellea vefica caeterisque propinquis partibus collecta fuerit, ex obferuatione propria exponit *o*). Etfi vero fatis perfuafum habeam, non valde raro ea in variolofi morbi initio figna occurrere, quae biliofos varie corruptos humores in praecordiis praefentes indicent, et quae a medente attendi quoque mereantur, et ideo praefertim, quod notante Sydenhamo

HAMO

o) *loc. modo alleg.*

HAMO *p*), *tunc*, *vbi grauiora ſymptomata phlebotomiam et emetica poſtulant*, *curationis exitus ſiue laetus ſiue funeſtus*, *ab ea potiſſimum*, *ſi non in ſolidum*, *ratione pendeat*, *qua aeger primis morbi diebus tractatur:* minime tamen velim eam ob cauſam illi ſententiae propenſus videri, quod emeticis, quum biliofarum fordium praeſentia innoteſcit, ſemper opus ſit. Etenim, vt vſus ipſe docet, pro varietate et gradu diuerſo noxae ex hac praecordiorum impuritate oriundae vel metuendae, pro vario quoque vitioſi humoris orgasmo, pro varia conjunctae febris indole, pro diuerſo naturae vigore, et ſymptomatum praeſentium varia indole, vel ſoli naturae integrum committere negotium praeſtabit, obſeruatis modo diaeta et regimine conuenientibus, vel clyſteribus vnice purgationem lentam perficere ſufficiet, vel a ſecta vena emetici effectum quoque probabiliter expectare, et in hoc ita moto acquieſcere licebit, vel aquoſo tepido potu ſolo, eodemue mellito, aut aliqua oxymelitis ſcillitici doſi, vel aliquando paulo quoque efficaciori emetico vti conueniet, vel aptum potius laxans medicamentum ſcopo medentis plane ſatisfaciet, vel etiam differre aliquamdiu omnem euacuationem, ſaltimque expectare, ſub nullo quidem aut aliquo medicaminum ſoluentium et praeparantium ſelectiorum vſu, quorſum natura vergat, hujusque dein molimini, ſi opus, ſubuenire conuenientiſſimum erit. Quis autem juſta ſub cautione

 ad

p) *oper. p. 279.*

ad variolas ex analogia applicari poſſe dubitauerit, quae diuus Cous de pleuritide tradidit *q*): *ſi aeger bilioſus ſit natura, et non purgatus a morbo correptus fuerit, medicamento bilem expurgato, priusquam ſputa bilioſa exſpuat;* ſubſtituamus modo nunc hiſce vltimis verbis, *priusquam puſtularum eruptio contigerit.* Rationem alibi proponit *r*): *febrienti et bilioſo in tempore foras diſperſa bilis bonum.* Et has ad conditiones variolis infectorum inprimis Rhazis monitum applicandum quoque eſſe, meditanti obſeruatori, opinor, probabile apparebit: *Aliquando neceſſe eſt aluum ſoluere in variolis, tum propter caliditatis exceſſum, et cephalalgiam, tum vt natura leuetur onere, et variolarum materia minuatur, quando nempe conjectura aſſequeris, illam eſſe nimiam s*).

§. XI.

Non facile dubitabit, qui in hiſce quoad variolas nobiſcum ſenſerit, vix diſcrepantem in morbillis conditionem aliquando quoque dari poſſe, quare breuioribus hoc argumentum expedire licebit. Sed omnino plus etiam noxae in morbillorum, quam in variolarum, curſu ab humore bilioſo abundante et in praecordiis collecto metuendum videtur, vbi Medicorum obſeruata perpendamus. Rhazes ipſe, quum, in capite de alui regimine in variolis et morbillis,

q) *Lib.* III. *de morbis. cap. XXII. edit.* LIND. *T.* II. *p.* 112.
r) *L. I. de morb. cap. VI. edit.* LIND. *T.* II. *p.* 7.
s) *De variolis et morbillis cap.* XIII. *edit. opp. Meadii. Goetting. p.* 144. 145.

billis, detractionem sanguinis, sub quibusdam conditionibus, in variolis maxime necessariam praedicauerat, eadem in periodo subjungit: *eodem modo oportet in morbillorum principio aliquid bilis subducere, quando nempe videris illam nimio plus redundantem, deinde quod reliquum est, admotis extinguentibus prosequi.* Multum quoque experientiae practicae sub adnexis statim verbis latere videtur: *signum autem nimiae bilis redundantiae est vehementia inflammationis, et molestia, cum ejusdem bilis euacuatione facta, tum per vomitum tum per egestionem alui, et amaritudo oris. Quodsi vero quantitas bilis non sit nimia, et tamen adfuerit molestia, et sitis et calor vehemens, citra eruptionem bilis siue per vomitum siue per alui egestionem, licet, inquam, quantitas ejus non sit nimia, tamen vtut est, eam prauam esse judicandum erit, secundum proportionem vehementiae inflammationis et molestiae a*). Etiamsi vero haec ita sumi minime debeant, ac si semper et fere vnice praecipueque ad colluuiem biliosam, in febre morbillosa respiciendum sit, quum et constet, phlogisticam subinde, et eam aliquando fere solam, diathesin humorum, quae venaesectionem in primis, eamque initio morbi repetitam quoque, vel saltim cum leuamine inde exspectando eam admittat *b*), nonnunquam vero et neruorum infirmitatem,

a) *Libro alleg. p.* 147. 148.

b) Conf. TRALLES *de opio Sect.* II. *p.* 146-148. vbi HOFFMANNI quoque, MEADII, et FREINDII assertis allegatis propriam sententiam corroborauit v. et ELLERI *obseru. de cogn. et cur. morb. p.* 15. 155.

tem, nimisque languidum febris genium *c*), etiam quandoque varie malignam et ad gangraenas quoque pronam indolem cum febre morbilloſa conjunctam obſeruari *d*); nequaquam tamen dubitari poteſt, haud raro ad manifeſtius bilioſas pertinere has febres, quae morbillorum eruptionem praecedunt, eandemque comitantur. Praeter vulgaria ſigna, quae hancce febris morbilloſae naturam ſaepius probare ſolent accuratius attendentibus, ipſae praeſertim leuantes vomitiones ac diarrhoeae bilioſae non infrequentes, illam extra omne dubium collocant. *J'ai vu quelquefois*, refert praeſtantiſſimus Tissotvs, *qu'un vomiſſement de matieres bilieuſes, un ou deux jours apres l' eruption, ſoulageoit beaucoup plus que l'eruption meme e*). Quae ipſa quidem ſera bilioſi humoris per vomitus rejectio, facilius neglectam primis diebus hanc bilioſam febris indolem ſequi, neque vix locum habere poſſe videtur, niſi febris integra hoc genio praedita fuerit. Haud raram quoque hanc ipſam febris morbilloſae conditionem habere potuit Eques et Regius Archiater Rosen a Rosenstein, quum vniuerſalem adeſſe tradiderit neceſſitatem, quod aeger primo in ſtadio morbi vel vomat vel purgetur, atque ubi ad vomendum conatus aut ipſae vomitiones, cum lingua impura, oris

c) HOFFM. *Med. rat. ſyſt. cap. de morbillis obſ. VII.* MORTONI *exercit.* III. *Cap. IV. p. m.* 28. 29. 30.

d) HVXHAM *de aere et morbis epid.* paſſim, vt, *T. I.* p. 319. 336. 339. edit. REICHEL.

e) *Avis au peuple* §. 228. *p.* 252. conf. etiam §. 223 *p.* 253.

oris amaritie, vertigine, capitisque dolore conjunctae sint, emesin promoueri jusserit *f*). F. HOFFMANNVS, faustissimo cum successu, morbi die quarto, cum secundo jam eruperant morbilli, emeticum infanti vnius anni praebuit, dejectaque inde viridissima materie, vigorem toti corpori accessisse, respirationem liberiorem factam, et morbillos rubore magis perfusos esse obseruauit, monitumque de magna noxa in morbillis, a vitiosorum ventriculi humorum colluuie metuenda, generatim subjunxit *g*). Vt ergo hinc facile colligitur, morbillosam febrim subinde vere biliosam esse, ita nec similis natura in febre scarlatina nonnunquam deficere videtur; etsi quidem certissime ita benignus leuisque hic morbus aliquando sit, qui medicina vix vlla indigeat, modoque morbi nomen, secundum SYDENHAMVM, *h*) dici mereatur, et sibi juncta nulla habeat biliosarum sordium indicia. Interea tamen contingit quoque, vt in hoc morbo appetitus prostratus, nausea, conatus vomendi, vomitusque ipsi biliosi, variis cum symptomatibus capitis, interdum obseruentur *i*). Ideoque de bile in primas vias tunc effusa nullo modo dubitandum erit. Necesse itaque est, vt in hac febre aeque ac in caeteris, pro bilis abundantia, acritate et noxa, discri-

f) *Anvveis. zur Kaentniss und Cur der Kinderkranckh.* 272. *u.* 273. S.
g) *Med. rat. syst. T. IV. P.* I. S. I. *C. V*III. *obs.* I*V. c. epicr.*
h) *Oper. omn. p.* 261.
i) Vid. MARC. ANTON. PLENCIZ *opera medico physica Tract.* III. *de scarlatina. p.* 163. §. 71. ROSEN a ROSENSTEIN. *lib. alleg.*

men illud, quod ab ea dependet, probe attendatur, eoque magis follicite, quod fub his bilis fignis, fymptomata etiam grauiora et periculofa quoque incidere quandoque obferuantur *k*), quae verofimillime fuam illi originem debent.

§. XII.

Etiam de febribus catarrhalibus injicienda quaedam erit mentio, quo nomine qui accuratius vtuntur, cum catarrhis ita junctas febres illo intelligunt, vt vel ambo a communi cauffa, vel alter morbus ab altero pendeat. Catarrhi autem vox etfi vario modo ab antiquis, varioque nonnunquam a recentioribus vfurpata reperiatur, plerumque tamen et vbi fenfu magis proprio fumitur, noftra aetate morbum breuem denotat cum humoris, initio aquofi tenuis et acrioris, dein autem fpiffefcentis, pituitofi magis, et priori acritate minus praediti, collectione atque defluxione in nares, vel palatum et fauces, vel laryngem et afperam arteriam, vel et in pulmones. Quamuis quidem HIPPOCRATES latiori fignificatione fumferit, vocibusque ροος et ρευμα etiam fimili fenfu vfus fuerit; GALENVS tamen arctiorem catarrhi explicationem tradidit, ac de palato et ore tantum, fluxione quadam humoris tenuis et crudi affectis, fumi *a*), et alibi eadem voce defluxiones ad afperam arteriam et pulmones compre-

k) PLENCIZ *l. c.*
a) *Commentar.* II. *in Progn. Hip.*

prehendi voluit *b*). Caeterum nunc paulo latius, nunc stricte magis aliis vocibus, ad species defluxionum designandas, vsi sunt veteres graeci, eoque fere modo, quem exposuit GORAEVS, *proprie magis*, inquiens, *καταρρεν humoris in os descensum, κορυζαν in nares, in fauces βραγχον, in gurgulionem σαφυλην et κιωνα nominari c*). Quemadmodum autem varias hasce sic dictarum fluxionum species vno destillationis nomine CELSVS comprehendit *d*), nisi quod malum illud, quo nares clausae, vox obtusa, tussis sicca, saliua salsa est, aures sonant, venae in capite mouentur, turbida vrina est, propria grauedinis denominatione distinxerit, sic etiam apud recentiorum complures vsitatum esse videtur, catarrhi nomine plura illa similis originis incommoda complecti, praesertim vbi de febre his morbis connexa sermo fuerit. Sed catarrhos quidem illos omnes nonnunquam sine febre sensibili, et aliquando cum leuissima modo, ceterum sanis incidere, quotidiana quisque experientia exploratum habere solet; ejusque conditionis vtique hoc morbi genus considerauit CELSVS, quum *raro fieri* dixit, *vt, si biduo vel triduo nobis temperauimus, id vitium non leuetur*. Verumtamen et grauiori modo hunc morbum satis frequenter occurrere, eoque magis, cum plethorica, biliosa et sensibilia corpora prehenderit,

b) *Comment. in aphor. XII. Sect. III Hipp.*.
c) *Defin. medic.*
d) L. *IV.* c. *IV.*

vulgaris obferuatio eft, neque omne periculum ab illo abeffe multum is dubitare poterit, qui catarrhalium affectionum, propinquam cum inflammatoriis cognationem penfitauerit. Vt quidem hanc edocere quamuis facile poffe videntur, narium, oculorum, linguae, palati, faucium, nimius rubor et ardor et tumor, pruriginis, calorisque fenfus in larynge, afpera arteria, pulmonibus, oefophago, refpirationis varia difficultas, dolorofa tuffis, conjunctaque febris; fic eadem quoque inflammatoria catharrorum natura fatis graphice depicta paffim legitur. Ita quidem HIPPOCRATES de veris catarrhis manifefte tractans non modo narium et oculorum inde oriundas inflammationes memorat, fed anginas quoque et eryfipelata, et peripneumonias inde fieri tradit *e*). Jam etfi catarrhi, febriumque catarrhalium benignarum indoles propius ad phlogifticam accedere fimplicem, coctaque materies pituitofa fieri foleat, conjiciendo tamen quisque, probabilem, arbitror, facile aeftimauerit fententiam, in catarrhalibus inflammationibus idem a biliofa quadam primas ad vias deferenda colluuie difcrimen locum habere poffe, vbi corporum, anni temporum ac tempeftatum eidem apta conditio fuerit *f*), quod in fimilibus aliis earundem partium morbis, praefertim

e) *De vet. med. cap. XXI. - XXXIII. Conf.* HOFFM. *Med. rat. fyft. T. IV. P. . cap. VI. de febre catarrhali benigna. Thefium pathol.* §. III. *et* TISSOT. *avis au peupe* §. 125.

f) vid. HIPP. *de natura human. Cap. XIV.*

sertim quidem erysipelatosis, nulli plane dubitationi expositum videtur. Quodsi etiam doctrinas de fluxionibus ab HIPPOCRATE alibi prolixius propositas *g*), et quibus catarrhorum inprimis verorum naturam descripsit, accurate persequamur, non difficulter deprehendemus, ex bilis ipsius noxa in catarrhorum cursu varia incommoda illum deriuasse. Si enim bilis tanquam lassitudinis caussae mentionem facit *h*), pleuritidique et peripneumoniae istum humorem a fluxione alienatum ansam praebere posse tradit *i*), atque vbi ipsum modum quo febres excitentur, de fluxionibus doctrinae modo propositae subjungit *k*), et verosimiliter catarrhales quoque febres comprehendit, ad quiescentem conclusam cum pituita bilem prouocat, posteaque nisi tribus quatuorue diebus ejusmodi febris non sedetur, pharmacum bilem educens exhibere praecipit. Videtur huic doctrinae quoque fauere obseruatio, quod catarrho grauiori aliquando etiam anorexia, et alienus in ore sapor, et nausea, eaque in vomitum quandoque erumpens, et ardor praecordiorum, et ventris tormina, et subsequens alui salutaris fluxus

g) *De locis in homine. cap. XVIII. et seqq.*

h) *Lib. cit. cap. XVIII.*

i) *Lib. cit. cap. XXIV.*

k) *Lib. cit. cap. XXXVIII. conf.* etiam *de victu acut. cap. L. VI.* catarrhorum quoque BARBETTE, quos biliosos dixit, mentionem fecit, in quibus multa, etiam purgantium vtilitatem se obseruasse retulit. *Prax. med. p. m. 72.*

xus animaduertantur *l*). Verum vſu multis receptum eſt, eas febres, in quibus praeter catarrhorum criteria etiam humorum varie corruptorum ad praecordia manifeſta eſt colluuies, vnde morbi grauitas, ſymptomatumque gradus et multitudo augeantur, *malignarum catarrhalium* nomine diſtinguere, et his plerumque alienatae bilis ad primas vias redundantiam eſſe conjunctam, attendenti certiora per ſigna facile innoteſcit *m*). Quum vero harum febrium diſcrepantia inſignis, pro varietate et corporum aegrotantium et epidemicarum conſtitutionum obſeruata reperiatur; eaedemque etiam diuerſis ſub nominibus, tum apud veteres omnes, tum apud recentiorum complures, deſcriptae legantur, ſine multa prolixitate fieri haud poſſe praeuideo, vt, quale diſcrimen a bilioſa multarum natura, has, aliasque malignas et putridas intercedere exiſtimem, aliqua cum accuratione exponere ſuſciperem, quare nunc potius, quem inſtituti mei ratio permittere videtur, hujus exercitationis conſtituo finem.



III.

l) LOMM. *obſ. med. p. m.* 90. 91. HOFFM. *Med. Syſt. Cap.* VI. *thes. path.* §. III.

m) HOFFM. *lib. cit. cap.* X. ELLER *obſ. de cogn. et cur. morb. p.* 112. *ſeqq.*

III.

Diſſertatio exh. de pleuritidum partitione in primis quoad febrium iis conjunctarum differentias analecta hab. Goettingae d. 22. Menſ. Mart. 1769. Reſpondente Friderico Christophoro Ellert, Petropolitano.

§. I.

Quicunque veram artis noſtrae ſalutaris indolem paulo attentius conſiderauerit, inſigne momentum facile animaduertet accuratioris morborum, quoad varias illorum proprietates in medendo attendendas partitionis. Sunt equidem plura in aegris phaenomena, quae conſtituendis morborum ſimilium, et ad commune quoddam genus referri ſolitorum, differentiis inſeruire queant, verumtamen nec difficulter quemuis perſpecturum confido, perinde nequaquam eſſe, an modo ad ſpecierum dignoſcendas diſcrepantias, vtrum vero ipſius ad medelae, quousque hanc peculiarem natura morbi ſibi vindicet, accuratius definiendas conditiones, diuiſionis negotium ſuſcipiatur. Vix enim aliter fieri poterit, quam vt animus, declarandis eo praeſertim fine differentiis intentus, ne ſpeciale ſatis nomen pro ſingulari quouis morbo deficiat, neque ſpecies vnquam confundantur, eos prae aliis characteres,

racteres, qui ſenſibus magis obuii deprehenduntur, arripiat, minorem vero ſedis, indolis, cauſſarum ac decurſus indiciorum, ſaepe haud aeque manifeſtorum, quae tamen curationum leges reſpicere maxime jubent, rationem habeat. Quamquam vero tironis haud eſſe facile intelligam, virorum tot, ipſo in artis vſu verſatiſſimorum obſeruatis, hiſque innixis morborum partitionibus, majoris momenti quid ſuperaddere, ipſius tamen vtilitatis, quae ex febrium praecipue differentiis, quoad medelae diſcrepantiam accuratius conſtitutis, in artis commoda redundet, meditatio, quum animus ex academiae legibus ad ſcribendum adpellendus erat, aliquam mihi excitauit ſpem, non omnem plane operam me perditurum fore, ſi in exponenda pleuritidum ea partitione, cujus in ferendo aegris auxilio praecipuus eſſe vſus videtur, pro inaugurali ſpecimine, approbante Ill. Praeside, qualescunque meas vires nunc exercerem.

§. II.

Ita equidem trita peruulgataque pleuritidis vox eſt, vt morbi, quem illa deſignet, generalis definitio ſuperflua facile videri poſſit. Neque inficias ire licet, generalem de pleuritide conceptum, cujusque vix non ſemper conſtans atque perpetuus ſit vſus, apud quam plurimos auctores ſatis expoſitum reperiri; etſi paſſim obuiae breuiores ejus definitiones laxiorem illam, quae occurrit, ejusdem vocis ſigni-

ſignificationem minus accurate exprimere ſoleant. Reliquis omnino praeferendam cenſuit Ill. TRILLERVS illam pleuritidis definitionem, quam ſecundum SORANVM exhibuit CAELIVS AVRELIANVS, vbi *dolorem* dixit *vehementem interiorum lateris partium*, *cum febribus acutis et tuſſicula*, *qua variae qualitatis liquor excluditur a*). At quamuis hoc ſenſu frequentiſſime vſurpetur pleuritidis vox, vel ipſe tamen TRILLERVS mentionem paſſim quoque facit pleuritidis catarrhalis, ſeroſae et ſenilis, flatuoſae et ingluuioſae, quas omnes non quidem re, attamen nomine pleuritides eſſe ipſe contendit *b*). Qui praeterea complurium obſeruationes conſuluerit, facile deprehendet, neque dolorum lateris vehementiam, quum et indolentes pleuritides memorentur *c*); neque interiorem dolorum ſedem, quod exterior in ſpuriis, prout illas multi explicant, reperiatur; neque acutam febrim, ſiquidem et intermittentem obſeruari contigit; neque tuſſiculam, quippe quae et a veriſſima pleuritide abeſſe poteſt *d*); neque ſcreatum

a) *Comment. de pleurit. p.* 151.

b) *Ibid. et p.* 137. 154. 207.

c) BAGLIV *opp. omn. p.* 35.

d) Ita IO. FREIND *commentar. V. ad libr. epid. Hipp. edit. Pariſ.* 1735. p. 23-25. non ſolum tuſſis cum pleuritide nullam ex naturae neceſſitate cognationem eſſe, variis ex argumentis probare contendit, ſed frequentem quoque hujusmodi pleuritidem obſeruari tradidit, in qua vis materiae, vel in vacuum thoracis ſinum effunditur, vel aliquando etiam *citra tuſſim vllam* purgationemue pectoris aut per aluum, aut per veſicam abducitur; ſeque ipſum praeterea hieme tunc proxime elapſa pleu-

rum etiam, quod hic in ficca pleuritide deficiat; ad pleuritidum ideam in vniuerfum requiri poffe. Certe negandum haud eft, multos hoc morbi nomine, vt fieri faepe folet, abufos ita fuiffe, vt a fignificatione vocis frequentiore nimis longe recefferint; fed nec minus tamen manifeftum, folis ejusmodi definitionibus, quales plerique tradiderunt, integram illam nequaquam comprehendi, ad quam vocis vis extendi folet, latitudinem. Praecipui vtique et generales pleuritidis characteres funt dolor in certa pectoris parte ftabilis et conjuncta huic febris; verum apud omnes quoque in confeffo eft, proprie illos faltim pleuriticos dici folere, quibus dolor is vehementior et punctorius eft, cum refpirationis difficultate, pulfu arteriarum duro, et acuta continuaque febre, et vbi haecce ex cauffa, quam internam dicunt, fimul excitata fuerint. Etfi autem prae-

pleuriticis interfuiffe haud paucis refert, quibus nulla fuerit puris exfpuendi fignificatio, qui tamen omnes, fecta vena, admotisque veficatoriis, ad fanitatem peruenerint. Neque alia fere fententia effe videtur fummi Viri Ill. G. G. RICHTERI Praeceptoris mei aeternum fufpiciendi, et honoris cauffa omnino a me nominandi, quam in *progr. de viis fputi pleuriticorum p.* 12. expofuit. Etiam exemplum ejusmodi pleuritidis, et grauiffimae quidem, in cujus toto decurfu nulla fuit tuffis neque anacatharfis, ex qua tamen, phlebotomiae ac thermafmatum vfu aeger intra triduum conualuit, memorat BONETVS *fepulchr. anat. T. I. p. 616. not. ad* §. 4. Praeterea et ex BARTOLETTO TRILLERVS de fpecie pleuritidis, quam ille ftertorofam fiue morofam et perniciofam appellauerat, hoc refert, quod in illa ne tuffiendi quidem conatus praefto effet. *L. c. p.* 2. §. 8.

praefentibus hifce affectionibus, inflammationem, in dolente pectoris parte fubeffe, fufpicari merito liceat, hujus tamen vitii, nedum ipfius inflammatae partis, quum fenfibus haud pateant, minus aptum in definitione locum effe exiftimo.

§. III.

Quum igitur fub nomine pleuritidis plerumque talis intelligi foleat pectoris affectio, quae veram fibi junctam habet interiorum lateris inflammationem: vbi nimirum fanguis ipfe circa vltimos arteriarum fines haereat; haec etiam, velut proprie fic appellata cognomine *verae* ab aliis mitioribus morbis, quoad febrim nempe ac lateris dolorem illi fimilibus, vera tamen inflammatione interiorum lateris non ftipatis, quos ex aduerfo *fpurias pleuritides* dixerunt, aptiffime diftingui potuit. Aliquando magis ad inflammationis verae abfentiam, plerumque vero inprimis ad fedem doloris in exterioribus thoracis partibus Medicos in definienda pleuritide fpuria refpexiffe deprehendimus. Ita GALENVS pleuritidi illi, quam exquifitam dixit, eam praefertim oppofuit, in qua dolor eft in thoracis mufculis exterioribus, qua et correpti, preffo extrinfecus inflammato loco, dolere fe faterentur. Atque hos refert per fputum non purgari, quod ab initio nihil ejus fucci, qui inflammationem excitauit, ad thoracis fpatium peruenire foleret. At concocta inflammatione, addit, nifi prius difcutiatur, eandem

ad cutem vsque attolli atque tunc incidendam esse *a*). FERNELIVS quoad materiam quidem laterum dolores distare admittit, quod alii a phlegmone, alii a distillatione, alii a flatu suscitentur; at vbi pleuritidum differentias proponit, pariter, quum sanguis, ait, in externos thoracis musculos effusus fuerit, ex materia quidem veram, ex situ vero notham pleuritin facit *b*). BOERHAAVIVS etiam vnice ex affectis partibus verae et spuriae pleuritidis discrimen constituit, atque hanc posteriorem appellari docet, si altius intercostales musculi, externi inprimis, vel et his superiora laborant *c*). F. HOFFMANNVS in eo quidem his accedit, quod exteriorem in spuria pleuritide doloris sedem assumat, sed praeterea quoque caussam non tam sanguinis quam potius seri acris stasin ipsi praebere, neque ergo veram subesse inflammationem putauit. Quare et illis, qui catarrhis, doloribusque rheumaticis et arthriticis obnoxii sunt, vel hemicrania subinde vexantur, morbum huncce, quem mitioris censuit naturae, ob quam nec sanguinis missione indigeret, familiarem esse tradidit *d*). Ill. denique LVDWIGIVS peripneumoniam aeque ac pleuritidem spurias nominari expresse docuit, si molestus sine inflammatione sensus percipitur, hisque morbis febrem nullam vel exiguam modo et catarrhali similem con-

jun-

a) *De loc. affect. L. V. C.* III.

b) *De part. morb. et symptom. C. XI.*

c) *Aph.* §. 878.

d) *Med. rat. syst. Tom. IV. P. I. Sect. II. Cap. VI. p.* 427.

junctam esse retulit *e*). Obseruantur certe dolores in pectore profundiores, fixi, haud inflammatorii, et febre tamen comitati, non minus ac vere inflammatorii exteriorum thoracis musculorum; vtrobique ergo cum pleuritidis proprie sic dici solitae siue verae desint characteres, spuriae pleuritidis nomen iis sine dubio tribui commode poterit. Sed opponi quoque a quibusdam verae pleuritidi solent, quae curationis methodum postulant ex praecipua parte ab ordinaria et alias plerumque conuenientissima discrepantem. Sic enim SYDENHAMVS pleuritidem essentialem siue veram non semper adesse docuit, quantumlibet lateris dolor punctorius, spirandi difficultas, color detracti sanguinis, et reliqua signa pleuritidi familiaria eandem subesse innuerent, vbi vero aliam medendi methodum postularet morbus *f*). Pariter quoque Perill. v. SWIETEN pleuritides, quibus venae sectio non profuerit, a pleuritide vera diuersas dixit *g*). An autem pleuritides hujusmodi etiam dicendae sunt spuriae? annon inde nimis incertus vagusque pleuritidis spuriae conceptus fieret? et quare non potius, quum fieri hoc aptissime possit, peculiaris ejusmodi pleuritidum indoles, ex febrium cum dolore lateris conjunctarum conditione declararetur?

e) *Instit. med. clin.* §. 320. et 335.

f) *Oper. vniu. Sect. VI. C. III. edit. Lugd.* 1754. p. 242.

g) *Comm. in Boerh. aph. Tom. III,* p. 40.

§. IV.

Quoad ipsam inflammationis in vera pleuritide sedem, vix fuerit, qui aliquos de hoc morbo, vel veteres vel recentiores, scriptores euoluit, neque sententiarum, quas probabilibus quisque argumentis fulcire studuit, frequentem discrepantiam animaduerterit. Neque vero plane omnem de parte in hoc morbo affecta mentionem praetermittere licebit, ne dein forte quandam sub illius nomine aegritudinem comprehendisse videamur ad genus aliud potius referendam. Facile deprehendimus, vbi cadauerum sectiones consulamus, in pulmonibus frequentissime solis repertam inflammationis sedem fuisse, etsi de praesente vera pleuritide, cum aegri viverent, nullum plane dubium fuerit. Memorabilis valde est, quam de Petro Servio plures referunt, obseruatio, ipsum nempe vel in trecentis pleuriticis, Romae post mortem dissectis, semper vnum pulmonis lobum correptum, materiaque repletum, pleuram vero aut nihil omnino ad sensum vitiatam aut leuiter quodammodo tantum inquinatam conspexisse *a*). Et ne testimoniorum pro hac sententia multitudine prolixi simus, ad vnum, quod instar omnium inseruire poterit, ad illud ipsum Summi Morgagni prouocasse suffecerit. Propositis nempe triginta et vna a Valsalva peractis, et octodecim propriis pleuriticorum cadauerum sectionibus, harumque cum aliorum obseruationibus instituta compara-

para-

a) v. HOFFMANNI *Med. Syst. T. IV. P. I. S. II. C. VI. p.* 426.

paratione, hic ipse Vir magnus ita concludit: *Nunc si nostras omnes et* VALSALVAE *obseruationes relegeris, et cum aliis aliorum, tum veterum tum recentiorum Medicorum contuleris, facile intelliges, longe procliuius nobis esse, (si alterutrum omnino sequi necesse foret) eorum sententiae adstipulari, qui lethalem pleuritidem docent in sola pulmonis, id quod saepe vidimus, quam eorum qui ajunt in sola pleurae, id quod nunquam deprehendimus, inflammatione consistere b).* Haecce in rem suam merito vertit Ill. TISSOTVS suamque praeterea jam alibi *c*) propositam de pleuritidis in pulmone sede sententiam, tum adducta obseruatione propria dissectorum septem cadauerum, pleuritide extinctorum, in quibus quippe pariter pulmones vnice inflammatos, pleuram vero plane integram deprehendit, tum quoque ex ipsis morbi symptomatibus, tussi praesertim ac sputis confirmare, simulque objectiones aliorum argumentis exquisitis variis diluere ac refellere contendit *d*). Attamen nec desunt, licet rariora omnino sint, inflammationis ad pleuram praesertim, cum illa pulmonum conjunctae exempla *e*), siquidem solius ad pleuram inflammationis vestigia cum pulmonibus integris, in cadaueribus

 rarif-

b) *De cauf. et fed. morb. epift.* XXI. *n.* 37. *p.* 217.

c) *Auis au peuple* §. 90.

d) *Lettre à M.* HIRZEL *sur quelques critiques de M. de* HAEN *p.* 18-46.

e) Notatu etiam digna hoc loco apparet ill. MORGAGNI relatio, qua, quidquid de inflammatione diaphragmatis aut mediastini et pericardii ipse viderit, leue et cum inflammatione pulmonum conjunctum fuisse, memorat. *L. c. epift.* XXI. *n.* 46.

rariffime deprehenfa fuerint *f*). Reponi quidem poteft, prouti RIVERIVS, etiam perill. van SWIETEN, pluresque notarunt, pleuritides vehementiores, vbi mortem induxerint, in peripneumoniam degeneraffe, pleuritidesque forte tales ficcas, qualem HIPPOCRATES, periculi nulla injecta mentione, et fine exfcreatione requifita, per phlebotomiam et medicamenta facile fanandam, defcripfit *g*); qualesque Io. FREIND memorat, fine vlla puris exfpuendi fignificatione feliciter fublatas *h*); cujusmodi et exemplum cell. TRALLES propria ex obferuatione refert *i*); a fola ad pleuram inflammatione excitatas, et ab inflammatorio pulmonum vitio immunes fuiffe. Verum ne huic ipfi quidem conjecturae multum confidere permittunt variae ill. inprimis MORGAGNI obferuationes, quibus pleuram vel fine omni dolore, vel faltim fine hoc vehementiore aut punctorio, inflammari poffe conftitit *k*).

§. V.

Quum igitur praeter cadauerum fectiones praefertim quoque illud punctorii doloris a fputis et ab infpiratis vaporibus medicatis leuamentum pleuritidis

f) Aliqua hujusmodi obferuata ex DIEMERBROECKIO et HARDERO refert van SWIETEN *Comm. in Boerh. aph. T.* III. *p.* 8.

g) *De morb. L.* I. *C. XXV.*

h) *Comm. de febr. V. p.* 24. 25.

i) *Vfus opii Sect.* II. *p.* 210.

k) *L. c. epift.* XVI. *n.* 21. XX. 51. 52. *feqq.* XLV. 16. LXIV. 3.

dis ſedem pulmonibus plerumque ſolis manifeſte vindicare videantur, haud exigua certe hinc naſcitur difficultas, vnde, qui pleuritidi habentur proprii, dolor punctorius, et is quidem vehemens, atque pulſuum in arteriis durities ſuam tunc originem habeant; ſiquidem ex veterum *a*) aeque ac recentiorum *b*) obſeruatione perexiguum pulmonibus ſenſum eſſe pro explorato cenſeri ſoleat. Probabile viſum eſt multis, vt H. REGIO *c*) VIEVSSENIO *d*) F. HOFFMANNO *e*), pluribusque, exteriorem et eryſipelatoſam pulmonum inflammationem pleuritici doloris cauſſam eſſe poſſe, quod membranam pulmones ambientem, prae ipſo illorum parenchymate doloris acuti capaciorem exiſtimauerint. Etiam ill. TISSOTVS pulmonum in pleuritide inflammationem *forſan exteriorem* eſſe putat, quam in peripneumonia, etſi ipſe punctorium dolorem ex majori illius membranae ſenſu naſci non adſeruerit *f*). Attamen nec illis, quae perill. de HALLER inſtituit, experi-

a) Ita ARETAEVS, pulmo, ait, neruos habet exiguos, graciles, neque dolorem percipit. *De cauſ. et ſign. morb. acut. L.* II. *C.* I.

b) Minime diſpar eſt praecedenti teſtimonium perill. de HALLER; neque multi neque magni pulmonis nerui ſunt, neque viſcus ipſum valde ſenſile. In viuis certe animalibus pulmo absque vlla agitatione animalis lancinatur, et in homine abſceſſus maximi pulmonis absque febre naſci viſi ſunt et absque dolore. *Elem. Phyſiol. T.* III. *p.* 170.

c) *Medic. et prax. med. L.* II. *C.* XI. p. 128.

d) *Neurogr. L.* III. *C.* IV. p. 185.

e) *Med. rat. ſyſt. T.* IV. *P.* I. *S.* II. *C.* VI. §. 11. *p. m.* 426.

f) *Avis au peuple Cap.* V. §. 90. p. 115. 427.

perimentis, neque chirurgorum obseruatione, quum in pulmones vulnerati, vel immissis etiam specillis, aut injectis liquoribus detergentibus, de pruritu quidem et anxio compressionis sensu, non autem de acuto dolore conqueri soleant, major illius pulmones inuestientis membranae, quam interioris illorum substantiae sensus confirmatur. Retulit etiam DIEMERBROECKIVS se bis terue cadauera, quae peripneumonia extincta fuerant, secasse et in iisdem vnius lateris totum pulmonis lobum cum exteriore membrana inflammatam reperisse, cum tamen ipsi, dum viuerent, aegri de nullo acuto dolore conquesti fuerint; idemque et propriis suis obseruationibus, parum doloris ab ejusmodi pulmonum vlceribus aegros percepisse, quibus tamen erosa vel consumta quoque, cum substantia pulmonis, exterior ejus membrana fuerat, probare contendit g). Sed praeterea quoque non ad superficiem pulmonum solam deprehensae fuerunt in pleuriticorum cadaueribus inflammationum sedes; quod ipsum praeter alia multa, et exemplum illud a perill. de HALLER memoratum probare poterit, vbi, etsi pulsus fortis, durus, vere pleuriticus fuerit, nullum tamen in pleura vitium, in dextro autem pulmonis lobo abscessum magnum cadauer exhibuit h). Quid vero, vt hisce ex dubiis nos extricemus, ad con-

g) *Anat.* L. II. C. XIII. p. 448. *Conf. de* HALLER *Mem. sur la nature sens. et irrit. exp.* 173. p. 220.

h) *Opusc. pathol. obs.* XIII.

concilianda illa phaenomena, quae tam contraria sibi apparent, nunc subjiciamus? quum et ancipitem vel ipsius MORGAGNI animum in explicanda hac difficultate reperiamus. Hic enim, quum non modo pulsum in peripneumonia, vbi nempe dolor acutus abfuit, durum quandoque dari, sed aegros etiam, quibus inflammationem ad pleuram fuisse sectio detexit, dolore punctorio immunes esse posse adductis obseruatis confirmauerat, in sequentibus conjecturis acquieuit: *Quid ergo est?* ait, *aliis fortasse minus arcta pleurae et pulmonis connexio; aliis pulmo superficiem versus adeo inflammatione impeditus ac durus, vt ibi ab inspirato aere distendi non possit, aliis denique esse alia caussa potuit, cur vel ea posita connexione, dolor tamen pungens non fuerit; nam quare hic sit aut non sit, aliquando, vt verum fatear, non ita facile occurrit i).* Verumtamen, vt nequaquam omnem, nec etiam acutum sensum pulmoni plane denegare licet, sic nec dubitauerim punctorium in pleuriticis dolorem omnino etiam ex inflammatione, quae cellulosam pleurae telam propinquasque molles acutius dolentes partes occupauit, ante mortem vero disparuit, excitari potuisse. Quoad prius etiam perill. de HALLER, allegatis cel. LORRY obseruatis k), assensum praebet inquiens: *quin in bronchiis sensus sit, minime repugno l).* Immo ipsae tusses catarrhales,

i) *L. c. epist. XX. n. 38.*

k) VANDERMONDE *recueil period. d'obseru. de medec.* 1756. *Decembr* p. 405.

l) *Element. physiol. T.* III. 170.

les, cum acris humor ad bronchia defluxerit, permolestum saepe dolorem creant, ideoque satis viuidum iis sensum manifeste vindicant. Neque rarum in phthisi, et in variis quidem hujus morbi stadiis, nunc fixos, nunc vagos in interiore pectore dolores percipi, subortaque praesertim noua inflammatione, dolores fixos et punctorios eadem ipsa in parte excitari, quam affectam diu jam fuisse, pruritus pressoriiue aut lancinantes, per interualla quoque intercurrentes acuti dolores comprobauerant. Peculiarem quoque obseruationem de vomicis in vtroque pulmone repertis eum in finem proposuit ill. MORGAGNVS, vt confirmaret quam falso pulmoni omnem pene sensum alii abjudicauerint *m*). Quoad posterius vero, nemo certe facile inficias iuerit, excitando punctorio lateris dolori inflammationem in spatiis intercostalibus natam omnino parem habendam esse, atque hanc aliquando veram doloris istius caussam fuisse *n*)? Quum igitur toties pleuritidis in peripneumoniam transitus, instituta e symptomatibus morborum diagnosi, obseruetur; veri omnino simillimum videtur, materiae ipsius phlogisticae tunc saepe metastasin, ex lateribus ad pul-

m) *L. c. epist. XX. n. 62. 63. 64. Conf. etiam* TISSOT *Lettre à M. Hirzel p.* 31.

n) Praeter alia, quae hoc ipsum probent, a BONETO collecta obseruata, etiam conferri merentur exempla in NANNII *Comm. Bonon. T. I. p.* 153. *et* BRENDELII *diss. de pleurit. vern. et aestiua p.* 89. praesertim Vero illa cl. WENDT *in diss. sist. obseru. de pleurit. et peripneum. p.* 20. 26. 29.

pulmones, resoluta prius illa ad costas inflammatione, pariter ac faucium angina, rheumatismus, cet. in peripneumoniam quandoque transeunt, fieri posse; vt ideo mirum non sit, insontem plane in cadaueribus pleuram tunc apparere.

§. VI.

Etsi ergo praestantissimi, verique amantissimi aetatis etiam nostrae Viri eam in sententiam proni adhuc reperiantur, quod vix vnquam vera pleuritis oriatur, cujus non praecipua vel solitaria in pulmone sedes fuerit; non solum tamen ob adductas contrarias, quibus fidem denegare nolimus, obseruationes, sed ob varia etiam, quae his responden-tia in aegris occurrunt, phaenomena, minime dubitamus, illi, quam Io. Riolanvs filius *a*) et Vinc. Baronivs *b*) introduxerunt, pleuritidis simplicis aut solitariae a pleuropneumonia distinctioni, a multis receptae ac probatae locum etiamnum, et in ipsa quidem praxeos commoda, omnino esse concedendum. Vbi enim quadam in pleuritide pectoris per sputa repurgandi nulla fuerit significatio, praesertim quum ipsa etiam tussis defecerit, vbi et quiescente thorace spiritus satis facile ope diaphragmatis duci possit, atque improuisus modo aut nonnihil profundior costarum motus aliquando valde molestum ac sine clamore vix tolerabilem dolorem exci-

a) *Anthropogr. Paris* 1618. *p.* 358.

b) *De pleuropneumonia libro. Foroliv.* 1538.

excitauerit, praetereaque vbi a sanguinis missionibus, ab antiphlogisticis, ab externis mollientibus, et epispasticis in declinationem, ipsumque ad finem exoptatum deduci se patiatur morbus; certe non erit, quod culpam ejus, siue omnem siue ex parte praecipua in pulmonibus residere pertinaciter asseueres. Quodsi vero etiam screatus cum tussi pleuriticis accidere obseruetur, siue cruenta, siue cocta, siue diuersimode alienata sputa fuerint, forteque suppressa horum rejectione, dolores increscant, anxietas excitetur, spiritusque difficultas augeatur; quodsi neque facilius ope diaphragmatis, ac thoracis motu aegris respirare liceat; sensusque praeterea compressi aut coarctati, quasi ex pondere incumbente, pectoris dolori punctorio conjunctus sit; tussis etiam ipsa anxietatem et vertiginem facile excitet, augeatue; spiritus ferueat, aliquando et in eodem ducendo aliquis in pectore strepitus percipiatur aegerque in situ erectiori facilius quam reclinando, aut alterutri lateri incumbendo respirare valeat, quae omnia in aegris haud valde raro obseruare licet: tunc vtique morbo huic, qui euidentiora pulmonis inflammati signa cum pleuritide conjuncta sistit, compositum illud pleuropneumoniae nomen quam aptissime conueniet. Sed quum varius esse gradus, et varia itidem euidentia istorum omnium signorum occurrat, aliaeque nonnunquam, praeter inflammatoriam, pectoris affectiones, vnum alterumue illorum symptomatum excitare soleant; etiam

pla-

planiſſime hinc liquet, non ſemper aeque certo conſtare, quo ſpecialiſſimo nomine ſingularis inflammatorius pectoris morbus durante vita aegri, aptiſſime ſit inſigniendus, etſi provide ſuſceptae ſanationis nihilominus exoptatiſſimum ſperare liceat ſucceſſum.

§. VII.

Jam vero, qui pleuritidum plures hiſtorias, et praeſtantiores de morbis hiſce tractationes ſibi familiares reddiderit, attentaque mente variam decurſus illorum indolem, artisque non minus ac naturae praeſidiorum in reſtituenda valetudinis integritate rationem perpenderit, is, puto, non difficulter animadvertit, certam aliquam pleuritidis et pleuropneumoniae conditionem a plerisque medicis vt ordinariam, et frequentiſſimam, immo et a quibusdam, vt fere perpetuam deſcribi, atque talem morbis illis medendi methodum, quae huic praeſertim conditioni accommodata eſt, pro vniuerſali fere, et prope vna ſolaque proponi. Et ea quidem indoles pleuritidi ordinariae et ſimpliciter ita dictae attributa legitur, quae compagem totius corporis, vaſculoſi praeſertim nervoſique ſyſtematis robuſtiorem, ſanguinemque denſiorem praegreſſamque laudabilem officinae chyli integritatem, poſtularet, quae purgantia primarum viarum haud facile, primisque diebus morbi vix vnquam, ſine noxa admitteret, in qua primarium a ſanguinis miſſione tem-

peſti-

pestiva, sufficiente, saepiusque repetita, praesidium exspectandum esset; cui, etsi sub declinatione diarrhoea in aegri commodum accidere posset, praecipuus tamen criseos modus, praeter sputa probe cocta, facilia, leuantia, per sudores contingere soleret; in qua denique quam frequentissime prae aliis morbis plurimis obseruaretur crustam albam gryseamue sanguini e venis misso insidere, quam et corium ideo pleuriticum dixerunt. Satis vtique exploratum inter medicos habetur, sanguinis ejusmodi diathesin, similemque febrium conditionem, aliis etiam inflammationibus, vt peripneumoniae, anginae, rheumatismis, cet. saepissime, et frequentius quidem ac vbi absque inflammatione febris fuerit, conjunctam esse; quare et vsus inualuit, inflammatoriam dici diathesin, febremque inflammatoriae indolis, etiamsi quam comitentur, inflammationis, alicubi forte praesentis, indicia nulla praesto fuerint. Attamen, ut hoc sensu dicta inflammatoria febris nonnunquam obseruatur, vbi inflammationem in corpore latentem absque ratione quis suspicaretur, eademque in sanguine diathesis, quum ne febris quidem vlla adsit, quandoque occurrat; ita vicissim inter Medicos frequente satis obseruatione constitit, veras aliquando inflammationes febre comitatas reperiri sine memoratis inflammatoriae febris, sanguinisque similiter cognominatae diatheseos indiciis. Quamquam vero inficiari non liceat, in pleuritidibus etiam, vt in aliis

forte

forte omnibus morborum generibus, plures ejusmodi varietates dari, quae minus apte pro veris habeantur speciebus peculiaribus, vbi tamen, quoad integrum decursum faustioresque naturae et artis auxiliorum successus, indoles morborum discrepantes reperiantur, tunc arti omnino proficuum videtur, si fida duce experientia, morbi, vno genere comprehensi, certos perpetuosque secundum characteres in species varias distribuantur. Quumque multos in hoc ipso negotio nos jam praeiuisse, alios autem plures istud neglexisse, minorisue momenti differentias istas habuisse, vel etiam, quasi talo minus firmo niterentur, easdem rejecisse, quosdam quoque species diuersas confudisse, deprehendamus; operam nos haud plane perdituros opinamur, si, quid experientia de febrium illo discrimine confirmet, sollicitius inquirere suscipiamus.

§. VIII.

Quo minus vero tritissimarum etiam rerum expositione molesti simus, haud immorabimur in illustranda indole febris illius inflammatoriae, qualem pleuritidi fere essentialem multos habere modo diximus, neque in confirmanda vlterius ipsa vera et satis jam superque explorata febris ejusmodi cum pleuritide ac pleuropneumonia conjunctae frequentia. Qui enim Sydenhamvm, Boerhaavivm, Trillervm, Swietenivm, de his morbis consuluerit, eam ipsam praesertim illorum indolem, quam superiori

riori sectione breuiter delineauimus, fuse satis et accurate descriptam deprehenderit. Vbi vero quis plurium pleuritidis specierum, vel modo etiam varietatum ejus morbi mentionem fecit, illa quam modo indicauimus, vario cognomine, nunc sanguineae, nunc exquisitae, nunc verae, nunc essentialis, nunc purae, nunc mere quoque inflammatoriae, nunc ordinariae, distincta reperitur. Sanguineae denominatione forsan aptissime vteremur, quum ipse jam HIPPOCRATES eodem sic fere vsus fuerit *a*), si modo et imputris, vel benignioris, characterem adjiciamus. Facilius autem hanc febris pleuriticae indolem, quam ab aliis vera solaque praesertim distinguit phlogistica in sanguine diathesis, quisque tunc dignouerit, quum reliquas pleuriticarum febrium differentias probe perspectas habuerit, harumque conditiones in illa deficere obseruauerit.

§. IX.

Ipse diuus quidem Cous, vt in plerisque febribus *a*), sic et speciatim in pleuritide *b*) excitanda, praecipuas bili partes expresse tribuit. Non laudauit modo hancce doctrinam praeclarus ipsius interpres PROSPER MARTIANVS, illamque vlterius confirmare studuit, sed eo etiam progressus est, vt fere

re

a) *L. III. de morb. C. XIX. XXV. Lind. T. II. p.* 110. 113.
a) *De natura humana §. XXVII. et Libr. I. de morb. Cap. VI.*
b) *L. I. de morb. C. XXIII.*

re ſolam bilem tantummodo febri accendendae parem eſſe aſſeruerit c). Maximam verarum pleuritidum partem a bile oriri, ex analogia morborum affinium, GVIL. etiam BALLONIVS probare contendit d). De bilioſis quidem pleuriticorum ſputis apud HIPPOCRATEM ſerioresque ſcriptores veteres multa generalius dicta reperiuntur, quae tamen ex hypotheſi modo, et ob colorum ſimilitudinem ſic nominata rectius cenſeas, neque alia intelligas, ac flaua illa, cocta, rotunda, quae Ill. TRILLERVS etiam pinguia vocauit e). Neque certe eſt, quod ſecundum iſta quis bilis vitium quauis in pleuritide accuſet, cum ſaepe nullum tale, quod ad morbum quid conferre, et in curatione attendendum eſſe videatur, appareat. Nec etiam ex characteribus illis pleuritidum bilioſarum et ſanguinearum, quas HIPPOCRATES tradidit, ſatis elucet, quod eas vnice bilioſas vocauerit, in quibus abundantis aut corruptae bilis noxae manifeſte ſatis obſeruari queant. Attamen etiam ipſe praeterea talia omnino retulit, quae humoris hujus vitium in pleuritide ab ipſo obſeruatum eſſe certo ſatis declarare queant. Huc inter alia pertinere exiſtimo, quum in curatione pleuritidum bilioſarum praeſcribenda, ad ſtercoris ipſius

con-

c) *In* HIPPOCR. *notat. explic. Patau.* 1719 *p.* 16-19. *et* 114.

d) *Oper. omn. ed.* TRONCHINI *T. IV. p.* 293.

e) *Comment. de pleurit. p.* 45. 55. *Conf. etiam* v. SWIETEN *Comm. in aph. Boerh. T. III. p.* 31.

conditionem biliosam, aegrique naturam, bilis abundantiae et acritati magis obnoxiam, qualem et alias biliosam dicere sueuit, quoad vsurpandos et repetendos clysteres, atque exhibenda quae bilem probe expurgent, pharmaca, praecipue respexit *f*). Memorabilis etiam, quem pariter huc merito retuleris textus ille HIPPOCRATIS est, quo dicit, *dolores ad latus in febribus tenuiter consistentes, citra notas, laedit venaesectio, et si cibum auersetur aeger, et hypochondrium elevatum sit g*). Si enim dolores minus vehementes, nec tam stabiles plane ac alias, sub tenuiter consistentibus intelligas *h*), atque notas, quarum defectum ponit, pro signis bonis, siue optati leuamenti, siue coctionis aut criseos, accipias *i*), hoc dictum recentiore, et hodierna etiamnum obseruatione in biliosis putridisque pleuritidibus confirmari facile deprehenderis. Praesertim quidem a venae sectione parum commodi sperauit HIPPOCRATES ea in pleuritide, vbi ad jugulum dolor non peruenerit atque sub diaphragmate constiterit

terit

f) *L. de morb. III. C. XXII.*

g) *Coac. n.* 491.

h) Verba HIPPOCRATIS ἰσχνῶς ἑστηκότα ad caussam quoque dolorum referri posse, MARTIANVS existimauit, vt nempe humorem indicarent noxium, qui tenuitate peccet, qualis ipsa bilis esset. *Comm. in* HIPP. *p.* 411.

i) Ita enim omnino exponendam esse HIPPOCRATIS vocem ἀσήμως, non vero pro defectu signorum pleuritidis verae reliquorum, facile patet ex FOESII *Oeconom. Hippocr. sub voce* ἀσήμως.

terit *k*), quam et inferam pleuritidem nonnulli vocarunt; non tamen in hac ſola ipſum ſanguinis miſſionem diſſuaſiſſe, vel eo ex dicto manifeſtum eſt, quo generalius ait: *in iis qui cruenta exſpuunt, venam ſecare prohibent anni tempus, et laterum dolor,* (πλευρῖτις) *et bilis abundans l*). Pluribus certe monitis praeſagiisque id ipſum conſtat, venae ſectionem eo minus illum ſalutarem habuiſſe, quo majora certioraque adeſſent bilis expurgandae indicia *m*). Etiam ſimile conſilium quoad pleuritidis curationem tradit ALEX. TRALLIANVS, aſſerens: *ne temere ſanguinem dimittas, neque purges, vt vulgo faciunt, niſi exquiſite didiceris humorem qui inflammationem pepererit, copioſum eſſe, et in toto corpore abundare*; vulgaresque ſui temporis Medicos reprehendens, quos *cavere* dixit, *ne pleuriticum aliquando purgent n*). Quum praeterea torpores pariter ac ſtupores, vbi non exigui momenti fuerint, rariſſime inflammatoriae ſimplici febri accidere ſoleant, contra vero in bilioſis putridisque cum varia praecordiorum affectione, frequenter obſeruentur; veri maxime ſimiliter etiam de anomalis hujusmodi pleuritidibus intelligendum HIPPOCRATIS illud praeſagium, vbi *dolorem in pectore fixum cum torpore, ma-*

 lum

k) *De victu acutor. C. XII.*

l) *L. De humoribus ex edit.* GVNZII *p.* 261.

m) *Conf.* BARKER *eſſai ſur la conformité de la medec. Ch. II. p.* 111. *ſeqq.* KLOECKHOFF *opuſc. med. p.* 58. *ſeqq.*

n) *L. VI. C. I. Baſil.* 1556. *in* 8. *p.* 268. 269.

lum eſſe declarauit, *hosque, ſi ſuborta febre exaeſtuent, celeriter mortem oppetere aſſeruit o).*

§. X.

Plura quidem ex monumentis veterum Medicorum adduci poſſent, quae ab inflammatoria diatheſi ſimpliciori aliquando abludentem febrium pleuritidi junctarum naturam vlterius confirmarent, verum haec jam ſufficere videntur, ad ſtabiliendum obſeruationis antiquae cum illa recentiorum, cujus nunc etiam varia ſpecimina prolaturi ſumus, quoad iſtarum febrium diſcrimina, conſenſum. Horum autem ad noſtra usque tempora non pauci pleuritidum variam ex febrium diſcrepantia indolem, quae curationis methodum dirigere deberet, animaduerterunt; ideoque ex re omnino fore exiſtimo, ſaltem hac de re praecipua quaedam adducere Virorum, ab hypotheſium ſtudio ſatis alienorum, et quibus apud omnes fides minus dubia eſſe ſolet, obſeruata, hisque innixa, quae argumento noſtro inſeruire videantur, probabiliora illorum monita. Ex pluribus PETRVS inprimis FORESTVS memoratu maxime digna de pleuritidum inprimis bilioſarum atque ſanguinearum diſcrimine tradidit, quae et propriis obſeruationibus adjectis confirmauit. Propoſita hiſtoria pleuritidis in juuene ſanatae, quam bilioſam habuit, variis e ſignis hanc pleuritidum indolem dignoſci docuit: „ex dolore nempe admo-„dum

o) *Praedict. L. I. n. 70.*

„dum pungente, ſed non perinde diſtendente, pul-
„ſu duro, crebro, et febre vehementiore, tertia-
„nam imitante, ex creberrima reſpiratione, ex ſpu-
„to et vrina ad flauedinem tendentibus; etiam ta-
„les facile quoque ſubinde delirare dixit, vt ipſe in
„multis obſeruauerit. Ad haec, ait, habitum cor-
„poris, aetatem, victum praecedentem bilioſum,
„juuantes, laedentesque cauſſas et ſimilitudines
„idem oſtendere. Praeterea quoque bilioſam eo
„refert ſanguinis e vena miſſi conditionem.„ Quo
autem hujusmodi pleuritis a ſanguinea rite diſtingua-
tur, etiam hujus exponit ſigna: „dolorem in hac
„pariter dicit eſſe vehementem, ſed ſimul diſten-
„dentem, febrem refert eſſe ſimpliciorem, quae
„nullas habeat acceſſiones, vehementem tamen,
„ſputum, ait, rubrum eſſe, et vrinam rubram, ci-
„tamque maturationem et expurgationem; rubrum
„eſſe corporis colorem, venas tumidas, habitum
„corporis bene conſtitutum, carnoſum, ſangui-
„neum, victumque praecedentem delicatum, qui
„ſanguinem plurimum procreandi vim habuerit;
„cauſſam praeſertim huic praebere retentas ſangui-
„nis euacuationes conſuetas. Idemque ſimiliter do-
„cere, ait, juuantes, laedentesque cauſſas et ſimi-
„litudines.„ Propoſuit equidem et hujusmodi ſan-
guineae pleuritidis exempla, omnium frequentiſſi-
mas tamen illas eſſe pleuritides docuit, quae ex bi-
lioſis et ſanguineis eſſent complicatae. Admittit
quoque pituitoſam et melancholicam pleuritidem,

 ſed

fed raro priorem, rariffime pofteriorem occurrere affeuerat. „In illa fputum vifcidum fpumans et candidum, remiffiorem et humidiorem febrem, quotidie exacerbatam, dolorem potius cum quadam grauitate vrgentem quam vere pungentem, pulfus molliores tardioresque, nonnunquam et fopores adeffe, refert; in hac autem dicit febrem quidem remiffam, fed fimul malignam effe, etiam prauis magnisque accidentibus, vigiliis, ac animi corporisque functionibus perturbatis, eam ftipari, parum ac difficulter exfpui, fputumque vel nigrum vel liuefcens effe, etiam in hac pleuritide caufas et fimilitudines fuas notas, vt in aliis exhibere afferit„ *a*). Habet idem quoque praeftantiffimus Auctor exemplum biliofae pleuritidis cum ingenti lateris dextri dolore, ad fuperiores coftas adfcendente, et cum febre validiffima; capite doluit aeger, vigilauit, manibus tremuit, fecundo jam die venter fatis copiofe folutus fuit, die quarto fanguis fubnigri coloris ad vncias octo miffus eft, pejus inde fe habuit aeger die quinto, fexto delirauit, fed poftea venter copiofe fluxit, feptimo facta eft crifis per icterum, vnde poft varias excretiones ex voto leuantes, die 14 aeger perfecte conualuit *b*). Notatu etiam dignae apparent, quas profert obferuationes de pleuritide pituitofa *c*) et de melancholica,

a) FORESTI *obferu. et curat. medic. L. XVI. in fchol. ad obf. XXVIII.*

b) *Ibid. Obferu. XXXVI.*

c) *Obferuat.* XXXVII.

lica, quam vltimam raro aut nunquam curari, et fere ſemper in tabem tranſmutari tradit. Sputum in hoc aegro melancholica pleuritide correpto, nigrum fuit, etiam extractus ex vena ſanguis niger et valde corruptus apparuit. Circa 20 diem purulenta exſpuit aeger, et ſubortis tandem vomitu ac dejectionibus atrae bilis, poſtquam 6 hebdomades decubuiſſet, vitam finiuit *d*): ſed jam quoque ad aliorum quorundam probatiſſimae fidei ſcriptorum teſtimonia de anomalis variis pleuritidibus nos conferamus. G. Ballonivs, cujus ſententiam, in verarum pleuritidum maxima parte a bilis vitio deriuanda, jam ſupra notauimus, et alia inter de hoc morbo memorabilia, peripneumonias etiam et pleuritides ſiccas prae aliis, majori cum diſcrimine junctas, deſcribit, „quas, ait, non tam in humore et tu„more phlegmonode conſiſtere, quam in phlogoſi „et vagabunda aſſatione aut aduſtione, homines„que incautos, et minime cogitantibus Medicis, „jugulare. Harum originem habet ſerum acre ſub„tile, malignum, efferum, eludens excluſionis an„ſam, et pepaſmi occaſionem, a quo ſiderentur „pulmones derepente. Signa refert rubores gena„rum fugaces, tuſſim inanem, indolentiam fere, „jactationes, ariditatem linguae, et extenuationem „praeter rationem, dolores pungentes et fugaces„; in quibus num inſtituenda vel omittenda phlebotomia ſit, Medicos, ait, accuratos et ſagaces eſſe

 opor-

d) *v. Schol. ad obſeru.* XXXVII.

oportere *e*). RIVERIVS fere pariter materiam quae pleuritidem efficiat, ut plurimum sanguinem biliosum esse, attamen et sanguinem proprie dictum, eundemque pituitosum ac melancholicum, hunc affectum producere posse existimauit, similiterque ac GALENVS, TRALLIANVS et FORESTVS ratione humoris praecipue abundantis, in quatuor species pleuritides distinxit, minus tamen in exponenda curatione ad hasce differentias respexit. Meminit vero malignae quoque et pestilentis pleuritidis, aitque sub finem capitis, in epidemica pleuritide sudorifica aut diaphoretica medicamenta vsurpanda esse, qualia in febribus malignis praescribi solerent *f*). Habet idem quoque obseruationem de pleuritide maligna, quae intra septem dies nullis remediis, nedum frequente venae sectione imminuta, circa finem vero septimae diei et initio octauae post grauem cordis palpitationem valde foetidis dejectionibus levata, et quum, quae 11 die apparuerat parotis, postero iterum delitesceret, 13 die morte finita fuerat *g*). Haud minus notabilia, quae PROSPER ALPINVS

e) *Epid. et ephem. L.* I. *oper. omn. edit.* TRONCH. *T.* I. *p.* 62.

f) *Prax. med. L.* VII. *C.* II.

g) *Obseruat. med. Cent.* 1. *obseru.* LXXII. Reperitur quidem et in Observ. XIX. Cent. I. historia pleuritidis, cum qua conjunctam febrem pro synocho putrida RIVERIVS habuit, sed nulla certa hujusmodi febris indicia in ipsa morbi descriptione deprehendo. Haud semper vera est, quae morbo imponitur denominatio. Sic in TVLPII quoque obseruatione, quam *dolor pleuriticus a bile* inscripsit, *obseru. med. L.* II. *C.* I. nullum plane signum hujus, quam accusauit, originis invenire licet.

PINVS de pleuritidibus anomalis epidemicis memoria prodidit, quae tamen aliam iterum hujus morbi faciem referunt. Poſtquam ſecundum HIPPOCRATEM ſputa candida, glutinoſa ac rotunda in morbis bilioſis inutilia, et in bilioſis inflammationibus perniciosa eſſe aſſeruerat, exemplo dicta confirmaturus, narrat: „abhinc plures annos Baſſani et Moroſticae, pleuritides peſtilentes, quae 4 et ad plus „7 diebus homines jugulabant, graſſatae ſunt, in „quibus quae per ſputa excernebantur, erant pi„tuitoſa alba. Quibus de ſputis quidam Medicus, „parum tamen in Galeni doctrina verſatus, perpe„tuo bene ſperabat. Qui certe decipiebatur, igna„rus haec ſputa alba pituitoſa indicio nobis fuiſſe, „nihil humoris facientis inflammationem purgari, „propterea et morbum crudiſſimum et ſumme per„nicioſum praemonſtrari„ *b*). Fuſius etiam deſcripſit conditionem ſumme periculoſam epidemicae pleuritidis Jo. WIERVS, qui pariter illam peſtilentialem vocauit. „Peſſimi moris febre continua cun„cti aegrotantes infeſtabantur, perſenſerunt pungi„tiuum lateris dolorem, ſumma excruciabantur an„helitus difficultate, et crebra reſpirationis repeti„tione; ratione exſpuitionis variae et facilis partis „affectae permutationis diuerſitas contingebat. Sta„tim ab acceſſionis principio dolor percipiebatur „fixus, qui deinceps vaga et inconſtanti motione „ſerpſit per vniuerſum thoracis circuitum, praeci-

H 5 „pue

b) *De praeſag. vita et morte* L. VII. C. XVIII. *p.* 538.

„pue poſt ἀνωδύνε applicationem. Poſtea celeri ni-
„hilominus impulſu conuertebatur ad pulmones
„ſputaque prodibant ſanguinolenta, mixta, diuer-
„ſoque colore aliquando tincta. Quae quanto ma-
„jori excretionis aut promptitudine aut abundantia
„rejicerentur, tanto grauior nobis minitabatur, de
„amiſſae valetudinis recuperatione diffidentia; pro-
„pterea quod hos fere in ſexti diei fine obiiſſe no-
„tatum ſit, antequam ad ſeptimi judicationem per-
„uenirent. Alii haemoptoicae paſſionis expertes,
„vbi nonum exceſſiſſent, liberati fuere, plurimi ta-
„men recidiua interiere ante tertiae ſeptimanae ter-
„minum. Quosdam delirium, nonnullos alui pro-
„fluuium corripuit, quae certum praebuere deſpe-
„rationis praeſagium. In hac autem lue venae ſe-
„ctionem valde noxiam extitiſſe deprehenſum eſt,
„cum primis in ea ſpecie, quae cum haemoptyſi
„conjuncta fuit, ſed praeter alia proficuus maxime
„repertus eſt acidorum vſus,„ *i*). Sed nequaquam
hoc loco praetermittere licebit exactiſſimi in obſer-
uando SYDENHAMI nonnulla, quae pleuriticarum
febrium differentias maxime confirmant, aſſerta,
monitaque, ex propria ſua experientia vnice de-
prompta. De pleureſi maligna, qualem quando-
que reperiri omnium ore tritiſſimum eſſe dixerat,
ſuam quoque ſententiam prolaturus, ipſe omnino
aliquando „accidere, aſſeuerat, vt febris alicujus
„anni proprie epidemica, a repentina aliqua mani-
feſta-

i) *Obſeru. medic. rararum libro Amſtel.* 1657. *p.* 58 - 61.

„festarum aeris qualitatum alteratione materiam in „pleuram vel pulmones libenter deponat, ipsaque „febris nihilominus eadem prorsus maneat. In hoc „casu, ait, etsi venae sectio possit concedi, vt „huic symptomati si multum saeuiat occurratur, ge- „neraliter tamen si loquamur, non multo plus san- „guinis, symptomatis ratione, educendum est, „quam febris nomine debuerat educi, a qua pendet „istud symptoma. Namque si haec ejus sit indolis, „vt a repetita venae sectione non abhorreat, po- „test ea repeti in pleuritide, quae ejusdem sympto- „ma est; at vero si febris repetitam venae sectio- „nem respuat, neque juuabit ista, immo et noce- „bit in pleuritide, quae cum febre stabit cadetue„ *k*). Facile autem liquet, quadam saltem ex hypothesi pleuritides hujusmodi SYDENHAMVM symptomaticas dixisse, quum tales non magis ac aliae iteratam admittentes vel postulantes venae sectionem, praesertim vbi, vt ait, *cum febre stant*, *caduntue*, symptomaticarum cognomen mereri videantur. BAGLIVVS qui multum industriae adhibuit in distinguendis describendisque iis continuis febribus, quarum in curatione ad cacochyliam, variasque corruptorum humorum ad primas vias colluuies respiciendum, et in quibus missio sanguinis caute administranda sit, non intermittit de simili aliquando etiam in pleuritidibus obuia conditione vtilia lectoribus monita exhibere. Ita enim scribit: „passim

„atque

k) *Operum vniu. Sect. V. C. V. edit. Lugd. 1754. p. 246.*

„atque frequenter in operibus nostris animaduerti-„mus, purgationem in principio verae atque inflam-„matoriae pleuritidis perniciosam esse atque damna-„bilem, verum enim vero ne quis putet, nos haec „vniuersaliter proferre, nulloque habito ad parti-„cularia respectu, et ad innumeras causas, quae „pleuritidem pariunt; sciendum est, pleuritidem „aliquando purgatione tolli debere, etiam in prin-„cipio morbi, sed non inflammationis causa, ve-„rum ratione materiae morbosae, magna copia pri-„mis viis congestae, ac pleuritidem immediate „producentis et quotidie fouentis„ *l*). Mentionem quoque facit pleuritidum sine rigore incipientium, ex fluxionibus salsis potissimum regnante austro, subortarum; et illarum, quas biliosa meracior colluuies, etiam talium, quas acre aliud qualecunque in corpore latens, scorbuticum, hypochondriacum, herpeticum, vel alius generis, excitare videatur *m*). Ex quibus, etsi aliquae pleuritidum nomine forsan per abusum saltim insignitae fuerint, alias tamen ad hoc morborum genus omnino aptissime referri attentior earundem caussarum obseruatio satis manifeste declarat.

§. XI.

Neque vero etiam defuerunt, nostrae propiori et recentissima aetate boni Scriptores Medici, qui

l) *Oper. omn. edit. Lugd.* 1733. *p.* 39. 40.
m) *Ibid. p.* 38. 44. 45.

qui ſtudioſa aegrorum obſeruatione ſimiles memoratis pleuriticarum febrium diſcrepantias animaduerterunt. Prolixe inprimis IOH. BAPT. BIANCHI plures, quas ſecundum experientiam conſtitui poſſe exiſtimauit, pleuritidum differentias deſcripſit, veterumque obſeruationibus illuſtrauit, adjectis etiam praecipuis, quas medela ex ejus opinione poſtularet, conditionibus. Diſtinxit nempe pleuritides 1) in phlogiſticam ſiue legitimam, 2) in catarrhalem ſiue lymphaticam et pituitoſam, 3) in lymphatico-ſanguineam, ex binis prioribus mixtam, 4) in ſpaſmodicam, ſeu criſpatiuam, qua ſputum ex criſpatura ſpaſmodica praepediretur, 5) in ſtomachalem et inteſtinalem, quibus et flatuoſam, hypochondriacam, atque verminoſam accenſuit, 6) in hepaticam, ſiue hepatidem pleuriticam, tandem 7) in bilioſam proprie dictam, de qua dein ex inſtituto tractauit. Conſentit in ea, quam de hac bilioſa pleuritide tradit, hiſtoria, maximam partem cum FORESTO, neque diſcrepant ab vtroque praeſcriptae curandi rationes, ab vtroque pariter, a BIANCHO tamen fuſius HIPPOCRATIS et GALENI aſſertis confirmatae *a*). Ex recentiſſimis autem ſcriptoribus inſigni praeſertim accuratione febres cum pleuritide conjunctas ill. TISSOTVS diſtinxit, et in cedro digniſſima ſua de febre bilioſa Lauſannenſi diſſertatione, dein etiam aliis in praeſtantiſſimis ſcriptis, inflammatorias febres a bilioſis et putridis, etiam

a) BIANCHI *hiſtor. hepat.* T. I. *Geneuae* 1725. p. 232. et *ſeqq.*

etiam cum inflammationem comitarentur, difcernere docuit. Meritoque fumme neceffariam cenfet hanc febrium diftinctionem, ob auxiliorum, quae licet in alia commodiffima effent, in alia tamen facile nocerent, follicite inftituendum delectum. In vtiliffimo etiam illo libello, quem, inftituto maxime falutari, in communia omnium commoda euulgauit, ordinariam pleuritidem et peripneumoniam ab iis quae fomite biliofo putridoque, in praecordiis haerente, excitentur aut fuftineantur, follicite fegregauit, atque peculiares pro illis aeque ac his medendi methodos commendauit *b*). Ampliori etiam expofitione certae conftitutionis epidemicae, difcrepantes illas pleuritidum atque peripneumoniarum indoles optime illuftratas exhibuit, accurate fimul notata illa complicatione, quae aliquando conjunctam fifteret inflammatoriam talem affectionem, quae phlebotomiam poftularet, cum biliofa illa et putrida febris indole, cui purgantia conuenirent *c*). Ex genere pleuritidum ejusmodi biliofarum atque putridarum, quae omnis inflammatoriae diathefeos expertes apparuerunt, fine dubio etiam illae fuerunt, quae in Actis memorantur Edinburgenfibus. „Inceperunt horrore, cephalalgia, tre„more et vomitionibus biliofis, poft biduum feque„batur dolor violentus fub coftis fpuriis, refpiratio „difficilis et tuffis ficca. Quibus vena non fecaba-

„tur,

b) v. *Avis au peuple ch.* IV. V. et XX.

c) *Lettre à Mr.* ZIMMERMANN. *fur l'epid. cour. à Laufanne* 1765.

„tur, sitis moderata erat, quibus autem sanguis, „in ratione vehementiae dolorum mittebatur, pul- „sus quidem debilior fiebat, sed sitis aeque ac do- „lor prope ventriculum increscebat, donec animi „deliquio corriperentur. Sanguis emissus fuscus, „flauus vel viridis erat, et vix coagulabatur. Vbi „omittebatur venae sectio aut perparum sanguinis „modo emissum erat, et emetica tempestiue ac ite- „ratis vicibus exhibebantur, non omissis aptis re- „soluentibus antiphlogisticis, et sputorum rejectio- „nem faciliorem reddentibus, plerumque fausto „cum successu sanitas redibat „ *d*). Conferri quo- que maxime digna videntur, quae cel. Hvxhamvs de sanguine in pleuropneumonicis quandoque disso- luto et corrupto, qui venae sectionem vlterius re- petendam vix vnquam sine noxa admitteret, accu- rate exposuit. „Sanguinem illum floridum descri- „bit, laxioris molliorisque consistentiae, vel colo- „ris obscurioris, et tenuiore coerulea aut viride- „scente pellicula incrustatum, sub qua tenuis viri- „descens gelatina et in fundo obscure liuidus cruor „haereat, interdum crassiori cum crusta, sed colo- „re pallide rubicundo, baccis corni vel dilutae ri- „besiorum rubrorum gelatinae simili, conspicuum. „In veris pleuroperipneumoniis hoc phaenomenon „saepius se obseruasse refert. Post alteram et in- „terdum post vnicam venae sectionem, ait, pulsus „et vires aegroti tunc mirum in modum prosterni, febrem

d) *Medic. Essays T. V. P. I. p.* 32. 33.

„febrem in speciem neruosae mutari, cum qua „magni tremores, tendinum subsultus, profusi sudores aut diarrhoea atrabiliosa cum lingua nigra, „comate, ac delirio, conjungerentur, quamquam „in principio pulsus plenus et celeriter tremens, „dolor, tussis et oppressio ita vrgere viderentur, „vt sanguinis emissionem quam maxime indicarent. „Nautis post longa itinera, et hominibus scorbuto „insigni affectis tales morbos saepissime contingere „asseuerat„ *e*). Non difficulter, opinor, quisque perspiciet, quum ejusmodi sanguinis diathesis putrida etiam sine indicio biliosae colluuiei occurrat, aliam harum pleuritidum atque peripneumoniarum putridarum esse indolem, quam biliosarum a cel. Tissoto descriptarum. Alius certe praecordiorum status est, „vbi, vt Hvxhamvs refert, lingua atro „veluti muco oblita, vel sicca admodum et prae„rubra, colore corticis granati aemula, saepe valde „glabra, liuescens, et splendida quasi, at aridissi„ma, cum bulla nigra ad linguae apicem, bilis vi„tio peculiari non apparente, et vbi febrem scor„buticam, vel malignam dicendam existimauit„ *f*), quam vbi crassus mucus linguae insidet, cum nauseoso oris amarore, pluraque bilis praesertim abundantis putridaeque indicia deprehenduntur *g*). Ex

occul-

e) *Oper. omn. edit.* REICHELII, *T.* II. *p.* 168 - 171. Similia sed breuioribus tradit ELLERVS in *obseru. de cognosc. et curand. morb.* p. 200.

f) Confer HVXHAMI Oper. omn. T. I. p. 325. 326.

g) *Avis au peuple ch. XX.*

occultioribus vero craſeos humorum conditionibus illae eſſe videntur, quae certis exanthematibus, etiam in hiſce pectoris affectionibus inflammatoriis, anſam praebent. Peripneumonias mali moris memorat HVXHAMVS poſt tres quatuorue dies in malignam neruoſam aut petechialem degenerantes *h*); alio loco laudat in pleuritidibus et peripneumoniis erumpentes circa pectus, ſcapulas, ceruices, quinto circiter aut ſeptimo die, puſtulas magnas vrentes, interdum valde dolentes, quales malis hiſce pulmoneis haud raro accidere aſſerit *i*). Trigam obſeruationum de pleuritidibus, quibus miliaria acceſſerunt exanthemata, propoſuit I. GEORG SEEGER *k*).

§. XII.

Ex adductis obſeruationibus, quibus longe plures facile adjicere liceret, ſatis palam liquet, inſignem eſſe febrium pleuritidi junctarum diſcrepantiam. Neque difficulter quisque perſpexerit, qui attente varios illarum decurſus, variaque in illis obuia indicantia meditetur, minus ad artis vſum ſufficere febrium iſtarum in benigniores et malignas, aut in regulares et anomalas, aut in legitimam pri-

mariam

h) HVXHAM. l. modo cit. p. 332.

i) *ibid.* p. 200.

k) v. ALEXANDRI CAMMERARII et I. GEORG. SEEGER *exercit. de pleuritide maligna miliaribus critice ſoluta*, in perill. de HALLER. *collect. Diſſ. pract. T.* II. *p.* 225.

mariam et ſymptomaticas, quales multis placuere, partitiones. Attamen omnino anceps inſtitutum eſt, quod hypotheſium ſtudio fouetur, quod etiam ad illarum patrocinium facile ducit, quod ſollertiam et attentionem in obſeruando infringere, ideoque et progreſſum artis retardare, erroribusque in diagnoſi morborum aeque ac in curationis methodo committendis anſam praebere valet, ſi quis certos ad numeros modosque, naturae in diuerſis hominibus, variis in regionibus, ſub diuerſis tempeſtatibus, atque tot aliis maxime diſcrepantibus, et varie complicatis cauſſis concurrentibus, quoad vnum quendam morbum, poteſtates nimis confidenter neque ſatis circumſpecte redigere ſuſceperit. Sed contra quoque certiſſime praeſtat, praecipua et frequentius occurrentia cujusuis morbi diſcrimina, quibus pleraque exempla ſingularia comprehendi obſeruatio ipſa doceat, ſecundum ejusmodi charactéres conſtituere, qui medentium in artis vſu conſilia apte dirigere valeant, quam ſi tentaminibus incertis et vagis in anomalo quouis caſu, vlteriorem omittendo diuiſionem, locus concedatur. Quoad pleuritidem, certe haud raro building varii gradus ad primas vias colluuiei ſigna, ex linguae ſordibus, amaro et nauſeoſo ſapore, et cum hiſce conjunctis vertigine, capitis dolore, praecordiorum plenitudinis ſenſu, nauſea, aeſtu vehementiore, inſolito faecum foetore, deprehendimus. Nonnunquam ab initio ſtatim corporis haec affectio pleuritidi juncta ob-

obſeruatur, aliquando vero tali febri, quae vnice phlogiſtica vel ſanguinea initio apparebat, poſt ſectam ſemel vel aliquoties venam, atque per hoc aliaque auxilia ſoluta jam inflammatione, demum accedit. Natura ſaepiſſime ſub hoc rerum ſtatu ſua ſponte ſibi leuamentum praeſtat vomitu ac dejectionibus abundantis corruptaeque ſaburrae, fauſtiſſimoque cum ſucceſſu ipſam, vbi modo juſtas obſeruemus cautiones, arte licet imitari. Neceſſarium haud raro deprehendimus, niſi major putridae corruptionis gradus adfuerit, neque ipſa colluuies valde turgeat, differre vſum euacuantium, ſi mitiſſimorum exiguas pro euphoria repetitas doſes excipiamus, donec ſanguinis miſſionibus, aliisque aptis auxiliis inflammatio fere penitus diſparuerit, et praeſertim pulſus jam emollitus fuerit; atque inprimis quoad emetica cautionem hancce vix non ſemper obſeruandam eſſe exiſtimamus. Fieri autem quoque poteſt, tantum adeſſe bilioſae colluuiei orgaſmum, qui nulli plane venae ſectioni locum apte permittat, et quo lente et caute ope laxantium antiphlogiſticorum educto, interpoſitis ſimul quae ferociam humoris bilioſi mitigent, ipſa inflammatio minuatur tollaturque; naturae moliminibus, in pectore per ſputa purgando, aliisque in mouendis excretionibus commodis, quandoque ſimul ex voto ſuccedentibus. Nihil vero impedire videtur, quo minus pleuritidibus ejusmodi bilioſarum cognomen imponamus; in quibus tamen varium gradum va-

riamque complicationem notasse omnino expedit. Rarae esse videntur sanguineae aut phlogisticae plane simplices aut solitariae, saepissime vero illis, quae a verissima pendent sanguinis phlogistica diathesi, quidam ex primariis biliosarum characteribus simul sociati reperiuntur. Sed nequaquam hi semper tanti sunt momenti, vt attendi, curationisque methodum sibi accommodari mereantur. Postulant vero hoc ipsum omnino, vbi illi majori gradu numeroque plures adsint, si grauiora ex illa colluuie symptomata exorta vel exoritura sint, si praesertim putridae in praecordiorum saburra humorumque massa corruptionis indicia deprehendantur. Quum ergo quaedam pleuritidum biliosarum signorum inualescentis putredinis vere expertes reperiantur, recte omnino et in verum artis vsum illas ipsas in putridas et imputres distinguere licebit. Sed minus accurate quaelibet putridae pro biliosis habentur, cum quoque occurrant colluuiei ad primas vias biliosae signis destitutae, prout inter alia ex cel. HVXHAMO allegata exempla probant; quae quidem plerumque ex genere febrium sunt continentium, quum biliosae frequentius per vices remittant; et in eo quidem cum biliosis putridis conueniunt, quod venae sectionem rarius admittant, verumtamen illas ab his ideo praesertim distinxisse operae pretium est, quod putridae biliosae praecipuum quoddam a purgatione adjumentum postulent, quod auxilii genus putridae illae simplices, quales Angli nunc aliique

non-

nonnulli ſaepius malignas dicunt, non quidem plane reſpuunt, ſed multo cautius rariusque neque ſine peculiari ratione poſtulant, ſiquidem alias facile in aegri noxam adhibeatur; attamen hae ſunt, quibus primario medentur antiſeptica efficaciora, Peruuianus cortex, alumen, ſerpentariae radix, camphora, vinum etc. Et quamuis haec ipſa remedia putridis bilioſis etiam conuenire nequaquam inficiemur, non dubitamus tamen peculiari tunc in illis vſurpandis cautione opus eſſe, atque demum, purioribus redditis primis viis, aptum iis locum reperiri. Sunt etiam, quibuscum pertinacius afflictum ſenſorium commune neruoſumque ſyſtema deprehenditur, quod ipſum ſaepius in putridis, aeque bilioſis ac ſolitariis, recentiorum nempe malignis, obſeruamus; verumtamen, vt nec ſemper haec affectio cum putridis conjuncta eſt, ita quoque ipſa ſine indiciis putredinis quandoque occurrit, ab occulto pendens irritamento, nonnunquam et a peculiari, quae debilitatem inferat, cauſſa. Atque his forſitan haud incongrue neruoſarum cognomen imponeretur, niſi arctior nunc vſitata eſſet hujusce vocis ſignificatio. Ad has pertinent, quas ſpaſmodicas nominatas reperimus, et illae, quibus torpor et ſtupor variaeque indolis deliria pertinacius conjuncta fuiſſe memorantur. Catarrhales affectiones, vt variae etiam alias naturae ſunt, variisque cum febribus complicatae reperiuntur, ita nec, ſi pleuritidi ſociatae fuerint, ſatis apte certam morbi ſpe-

ciem declarant. Non raro equidem grauiore fub catarrho vera aut notha peripneumonia latet, rarius pleuritis cum illo conjungi videtur. Saepe autem phlogiftica febris ejusmodi catarrhum comitatur, faepius illi accedit pituitofa et biliofa ad primas vias colluuies, morbum aggrauans, majora fymptomata adducens, nonnunquam et putridam indolem febri concilians. Aliquando et fimulacra modo catarrhalia, qualia HIPPOCRATES inter affectiones malignas et figna phrenitidum retulit *a*), in putridis, et in quibus functiones neruorum ex occultiori cauffa perturbatae reperiuntur, accedunt, atque fubdolam morbi vehementiam, confentientibus aliis fignis, manifeftius demonftrant. Atque haecce nunc pro inftituti mei ratione fufficiant.



IV.

a) *Conf.* BRENDELII *Diff. de cognatione paraphrenitidum et febrium malignarum.*

IV.

Diſſertatio exhibens venaeſectionis in febribus inſtituendae praecipuas cautiones publice propoſita Goettingae d. 4. menſ. Iun. 1771. Reſpondente Io. Ferdinando Ivngschvlz de Roebern Elbingenſi.

PROOEMIVM.

Si vlla res eſt in Medicina facienda, quae ſingularem Medicorum attentionem, judiciumque circumſpectum poſtulat, inſignibusque difficultatibus implicata reperitur, ne, dum aegrotis vno reſpectu auxilium praebemus, altero noxam et detrimentum afferamus: certe eſt juſta conſideratio indicantium et contraindicantium, ad quae omnis inſtituenda eſt curatio. Morbi enim perſaepe complicati, variisque cum affectionibus permixti occurrunt, vnde indicationes ſibi magna ex parte contrariae oriuntur, ſic, vt tyrones et in praxi medica minus exercitati incerti neſciant, quae methodus curationis praeferenda et eligenda ſit. Res eſt maximi ponderis, praeſertim in febrium curatione, vt rite cognoſcamus, quo modo ſuccurrendum optime ſit naturae in praeparanda et eliminanda materia vitioſa, et quae indicia alui purgationem, quae vomitionem, quae ſudoris prouocationem, quae ſanguinis miſſio-

nem, vel aliam quamlibet euacuationem desiderent vel dissuadeant, et ad quod attendendum sit, si status complicatus morbi diuersa et saepe sibi contraria requirat remedia. Perpendens, quam materiam ad dissertationem inauguralem eligerem, operae pretium fore existimaui, quasdam notatu mihi dignas visas cautiones quoad venaesectionem in variis febrium generibus, earumque sub complicatione obseruandas, paucis explanare; cum satis constet, per omissam aeque ac per nimiam et absque vera indicatione institutam venaesectionem in curandis morbis errores facile committi posse quam grauissimos.

§. I.

Phlebotomiam remedium esse, quo in arte salutari nullo modo carere possumus, effectus felices, quos in multis morbis etiam grauissimis praestat, satis superque probant. Plethora vera et exquisita, praecipuum venaesectionis indicans, morbos et symptomata magni momenti saepissime producit; inflammationes quippe, haemorrhagiae, vigiliae, anxietates, oppressio pectoris, sopores, deliria, motus conuulsiui, prostratio virium, inde aliquando originem trahunt, ad quae mala minuenda et remouenda venaesectione saepe nullum efficacius datur remedium: ideoque et affectiones huiusmodi qualescunque, siue febriles siue non febriles, ab abundantia sanguinis ortas vel sustentatas sanguinis de-

detractione nunc auferri nunc maxime leuari nemo facile dubitabit. Sed cum characteres plethorae ſaepe in morbis obſcuri et difficiles cognitu ſint, cum ſymptomata ab illa oriunda nonnunquam et ab aliis cauſſis illi plane contrariis producantur, viriumque corporis dijudicatio magnis haud raro difficultatibus implicata ſit, fieri facile poteſt, vt in venaeſectione celebranda valde peccetur. Hinc diſſenſus Medicorum cum veterum tum recentiorum in ſanguinis miſſione variis morbis accommodanda magna ex parte ortum duxit. Videntur enim quidam in illa adminiſtranda nimis timidi, ſic, vt omiſſa vel retardata phlebotomia aegrorum periculum augeri quandoque potuerit. Fr. Hoffmannvs *a*) refert, ſe noſſe plures juuenilis et virilis aetatis vegetos et ſanguine plenos febribus acutis correptos, qui ob omiſſam venaeſectionem intra paucos dies phrenitide, inflammatione ventriculi, aut faucium, vel etiam peripneumonia obierint. Sed dantur Medicorum alii in ſanguine detrahendo nimis temerarii et audaces, qui hac in curationis ratione omnem medelae vim quaerunt, et qui a quolibet fere ſymptomate, dolore, aeſtu, anxietate, delirio indicationem ſibi ſumunt ad venaeſectiones inſtituendas et repetendas, diſcrimine cauſſarum et complicationum minus ſollicite obſeruato. Nimis frequentium et copioſarum ſanguinis euacuationum effectus triſtiſſimos certe et quandoque atrociſſimos

I 5 per

a) *Medic. rat. ſyſtem. T. III. p. 556.*

per obſeruationes abunde confirmatos reperimus. Sic LOMMIVS *b*) multos per venaeſectiones inconſulta temeritate Medicorum nimis vacuatos, alios praematura, coactaque judicatione labefactatos periiſſe, alios in hydropem, alios in aliud atque aliud genus vitioſi habitus conjectos vidit. Ill. van SWIETEN *c*) foeminam omni denique ſoluto corporis robore in hydropem incidiſſe memorat, cui ob validiſſimos et ſaepe renatos animi affectus ſexageſies et vltra intra anni ſpatium vena fuerat ſecta. Manias atque ſtultitias a nimia et minus opportuna ſanguinis miſſione ortas SYDENHAMVS *d*) non raro obſeruauit. Inepte inſtitutam phlebotomiam in hyſtericis et aliis immodica ſanguinis copia minime redundantibus deliria, ſpaſmos et conuulſiones vehementes adduxiſſe cel. TISSOTVS expertus eſt *e*).

§. II.

Si omnes euacuationes vsque ad extremum productae ſecundum HIPPOCRATEM *a*) periculoſae ſunt: hoc praeſertim de nimia ſanguinis detractione valebit, qua homines etiam ſaniſſimi, ex tono et vigore inde labefactato, ad cacochymias, obſtructiones viſcerum, affectiones neruoſas et facillime quidem hypochondriacas et hyſtericas, aliosque mor-

b) *De curand. febr. contin. p.* 25.

c) *Comment. in aphor. Boerhaav. T. I. p.* 155.

d) *Oper. omn. ed. Lugd. Bat. p.* 102.

e) *De febr. bilioſa Lauſ. p.* 97.

a) *Aphor.* 3. *Sect. I.*

morbos grauissimos disponuntur. Nulla enim est functio in corpore, quae per ipsam non laedatur: vires nempe circulationis debilitantur, sanguinis praesertim progressus per pulmones et per systema venae portarum languescit, omniumque partium firmarum vigore inde imminuto, et sanguine pariter ac reliquis humoribus sensim nimis aquosis ac pituitosis redditis, aeque naturales dictae functiones quaelibet ac animales, et neruosae omnes remittent, variisque modis facile perturbari poterunt. Quantum damni nimiae illae et nimis frequentes sanguinis detractiones sanitati et vigori corporis afferre soleant, etiam veteres bene perspexerunt. GALENI *b*) verba hoc de argumento, quibus hanc prauam consuetudinem damnat, maxime memorabilia sunt: „*saepius per annum venam secare non expe*„*dit, quippe cum sanguine copiose e vena vitalis excer*„*nitur spiritus, eo autem copiosius absumpto vniuersa* „*corporis moles refrigeratur, omnesque naturales ope*„*rationes deterius perficiuntur.*„

§. III.

Cum itaque sanguinis missio tanti momenti res sit, vt si recte pro aegrorum constitutione, robore, morborum eorumque caussarum et complicationum diuersitate administretur, multum commodi: si vero temere et absque indicatione instituatur, varias noxas, quandoque et symptomata funesta afferat;

b) *Meth. med. L. IX. c. 5.*

afferat; colligere exinde licet, quantum circumſpectionis et prudentiae requiratur, vt caſus praecipue complicatos bene diſtinguamus, quibus phlebotomia conducat. Quod ipſum praeſertim ſcrutinium in curatione febrium maximae eſſe vtilitatis, neminem in dubium vocaturum credo.

§. IV.

Cum de venaeſectione in quibusdam febrium generibus diſſerere meum in animum induxerim, primum me ad febres inflammatorias conuerto; vbi quaedam generaliora de venaeſectione, et deinde, ad quod attendendum ſit, ſi cum aliis conjunctae occurrunt, ea qua licebit breuitate et pro virium mearum modulo pertractabo. Febres inflammatorias ſimplices, plerumque homines fibris fortibus ac tenſis ſanguine vberiori ac denſo praeditos afficere, easque modo absque certae partis internae vel externae inflammatione, modo cum aliqua conjunctas eſſe, praxis docet quotidiana. Quodſi cauſas harum febrium easque comitantia ſymptomata et ſanguinis detracti conditionem phlogiſticam conſideremus: euacuationem ſanguinis indicatiſſimum remedium judicamus; minuit enim quantitatem humorum eorumque motum celerem et velocem reddit pacatiorem, reſolutioni denſitatis phlogiſticae ſummopere fauet, liquorum diluentium ingreſſui viam aperit, vehementiorem cordis et arteriarum actionem mitigat, ſtaſin ipſam inflammatoriam ex

voto

voto saepe expedit, ideoque indicationibus ad hos morbos necessariis quam manifestissime, et ipso rerum vsu confirmante, respondet. Quod ad quantitatem vero sanguinis detrahendam: certa mensura et copia constitui generatim nequit, respiciendum enim semper est ad aegrorum habitum, vires, morborum et symptomatum vehementiam. Sic BAGLIVVS *a*) sanguinem mitti oportere docet, idemque repeti, pro vrgentia symptomatum, quod et alii Auctores, LOMMIVS *b*), HVXHAMVS *c*), GLASSIVS *d*), KLOEKHOFIVS *e*) suadent. Sunt vero casus, qui propter symptomatum vehementiam venam secare vsque ad animi deliquium permittunt, quod et veteres ratione et experientia ductos optimo cum successu tentasse, legimus. In febre continente HIPPOCRATES et GALENVS non veriti sunt, sanguinem, donec animus deficeret, detrahere. De pleuritide et peripneumonia agens HIPPOCRATES *f*) *mitte*, inquit, *sanguinem juxta corporis habitum et tempus et aetatem plus et confidenter, et si acutus fuerit dolor, vsque ad animi deliquium*; et alio loco: *g*) *vbi opus est, vsque ad animi defectionem ducere oportet sanguinem, et hoc facere, si sufficiat aeger.* GALENVS affir-

mat

a) *Oper. omn. Prax. med. L. I, c. 9. p.* 48.
b) L. C. *p.* 22.
c) *Op. phys. med. edit. Lips. T. II. p.* 19. 176.
d) *Comment. de febr. p.* 71.
e) *Opuscul. med. p.* 23.
f) *De victu acut.* §. 52. *ed. Lind.*
g) *Aphor.* 23. *Sect. I.*

affirmat *h*), fe in maximis etiam inflammationibus et vehementiffimis doloribus fanguinis miffione vsque ad animi defectionem continuata nullum melius noffe remedium; et poft profufam hanc inanitionem fymptomata ceffare, coctionem et crifes bene fuccedere, et aegrum facilius integre conualefcere, non raro fe expertum effe refert. Similemque methodum a compluribus recentiorum etiam commendatam reperimus. Sic enim perill. van SWIETEN in fummis et periculofiffimis morbis venaefectionem requiri tam copiofam docuit, donec in animi deliquium incidat aeger *i*). Ill. PRINGLE *k*) in febribus inflammatoriis non quidem vsque ad animi deliquium fanguinem emittere, verum illud potius ne nimis cito accidat, quodam modo cauere fuadet; attamen fubfequens forte iftud fymptoma fauftiori prognofi locum praebere, contendit. Cl. CLEGHORN *l*) in pleuritide epidemica faepe venam fecauit vsque ad animi deliquium, bono cum fucceffu. Minime vero in curatione cujusuis febris inflammatoriae tam large ex inftituto mittendus eft fanguis, vt animi defectio fubfequatur, fed attendendum omnino eft accuratius ad veram morborum et conftitu-

h) *Meth. med. L. IX. c. 4.*

i) *Comment. in aphor. Boerh. T. II. p. 156.*

k) *Obfervat. on the difeaf. of the army, ed. Vtae, p. 126. 127. When large quantities are neceffary, it is beft to bleed the patient lying, in order to prevent his fainting before enough be dravvn; othervvife in all inflammatory pains, the animi deliquium, upon the lofs of blood, is reckoned a favourable circumftance.*

l) *Obferuat. on the difeafes in Minorca, p. 259.*

ſtitutionum epidemicarum conditionem, et praeſertim quoque ad plenitudinis vaſorum, inflammatoriae diatheſeos et ipſarum inflammationum reſoluendarum gradum, ad euentum emiſſo jam ſanguine obſeruabilem, et denique ſimul ad vires aegrotorum, et inprimis vitalibus in functionibus ſe ſe exſerentes; nam in omni morbo, vbi hae vires non valentes ſunt, niſi ipſa ex abundantia forte aut congeſtione oppreſſae fuerint, omnis venaeſectio, multo magis ad animi vsque defectionem continuata facile in damnum aegri cedit.

§. V.

Quamuis conſideratio ſanguinis emiſſi omnibus in morbis, praeſertim vero in inflammatoriis, maximi emolumenti ſit in formandis indicationibus; minime tamen negari poteſt, illam, niſi ad reliqua ſimul attendatur, facile Medicos fallere et in errores ducere poſſe. Atque ſic rem ſe habere exiſtimamus in dijudicanda cruſta pleuritica, indeque colligenda vlterioris venaeſectionis vtilitate vel neceſſitate. Sunt Medici, qui abſentiam pellis coriacei pro ſatis graui habent ratione omittendae vlterioris phlebotomiae in morbis inflammatoriis. Sic Baglivvs *a*) a ſanguinis miſſione in pleuritide abſtinere ſuadet, ſi in prima vel altera venaeſectione cruſta defuerit. Sed aegris noſtris male conſuleremus, ſi hanc methodum Baglivi ſemper ſequeremur.

a) *Opp. omn. Prax. med. L. I. p.* 37.

mur. In febribus enim acutis et inflammatione ſtipatis, viris illuſtribus de HAEN et TRILLERO aliisque teſtibus, tegmen pleuriticum vsque ad finem abeſſe poteſt, vbi nihilominus ſymptomatum vehementia venam pluries ſecare exigit, euentu etiam fauſto ſuccedente. Praeterea et cruſta inflammatoria antea non reperta quandoque ſerius demum apparet, cum pro indicationum vrgentia ſanguinem detrahere continuauerimus. BIANCHI *b*) ex aſſidua praxi refert, ſe obſeruaſſe cruſtam in morbis inflammatoriis in quartae phlebotomiae repetitione cum optimis aegri conditionibus, morbique judicatione mox ſuccedente, cum in prima, altera et tertia venaeſectione illa plane defuerit. Idem quoque HVXHAMVS *c*) expertus eſt, immo et quotidiana praxis attento cuiuis obſeruatori hoc ſatis confirmare videtur. In determinanda autem ſanguinis detrahendi copia non minus errare videntur, qui venam in morbis inflammatoriis toties ſecandam eſſe exiſtimant, quoties tegminis pleuritici veſtigia adhuc appareant. Quum enim non raro per vnam alteramue miſſionem, etiam copioſa in ſanguine cruſta innaſcente, ita jam aegrum leuari obſeruamus, vt morbi conditio nullam plane vlteriorem detractionem poſtulet, aegerque ſine hac integram ad valetudinem ex voto ſenſim perueniat; facile animaduertimus, ipſo ſolo ex corio illo inflammatorio neceſſitatem

b) *Hiſtor. hep. p.* 298.

c) *Opp. phyſ. med. T. II. p.* 170.

tatem repetendae venaeſectionis minus recte colligi. Neque dubitandum, quin multum damni aegris facile inferri queat, ſi eam regulam quis perpetuo ſequi velit, vt miſſionem, donec ſanguis cruſta deſtitutus prodeat, repeti jubeat, etiamſi quid inflammatoriae ſtaſeos adhuc ſuperſit; ſiquidem et alia auxilia optatum ſaepe adjumentum adferunt; ex detractione vero ſanguinis vltra neceſſitatem inſtituta vires, quas coctio et criſis poſtulat, facile nimis infringuntur, aegerque inde vel in vitae periculum vel in diſcrimen chronici morbi omnino conjici poteſt.

§. VI.

Primos morborum inflammatoriorum dies maxime venaeſectioni opportunos eſſe omnes conſentiunt Medici, an vero ad diem quendam terminus iſtius auxilii ſtatuendus ſit, omnino diſſentiunt. In morbis acutis Celsvs et poſt eum multi alii ex recentioribus, vt Lommivs, Hoffmannvs, Boerhaavivs, immo quidam adhuc noſtro tempore viuentes, ſecundum, tertiumue ſolummodo, raro quartum, a principio morbi diem huic negotio aptum, ſeriores vero infauſtos habuerunt, credentes, praeterlapſo trium quatuorue dierum ſpatio omnem inflammationem tranſire incipere in ſuppurationem, niſi reſoluta ſit vel ſaltem reſolui jam coeperit. Quamuis vero incepta jam coctione vel ſuppuratione venaeſectio multo cautius celebranda

sit, ne vires debilitando perfectiorem resolutionem et crisin impediamus, retardemus, et forte inchoatae suppurationis salubriorem successum inhibeamus vel perturbemus: minime tamen illa quorundam Medicorum doctrina de quarto die, vt postremo venaesectionibus opportuno in morbis inflammatoriis, ne dum acutis quibusuis, generatim pro vera et vtili accipienda erit. Suppuratorii enim stadii initium minime semper in tertio vel quarto die fixum ponendum est, quippe cruditatis signa vltra quartum diem testibus optimis Practicis non raro se extendere videmus. Pro constitutionum enim, quibus praediti sunt aegri, varietate, et pro diuerso gradu inflammationis et febris, pro varia, qua tractantur, methodo, atque tandem pro ipsarum affectarum partium discrimine, nunc serius nunc citius incipere suppurationes obseruamus. HIPPOCRATES in pleuriticis, qui in diebus quatuordecim superne non repurgantur, suppurationem contingere asserit *a*); etiam exemplum ipse habet pleuritici, cui octauo die sanguis cum leuamine missus est *b*). Felicissimo etiam euentu ill. TRILLERVS sera quandoque venaesectione vsus est *c*). Et van SWIETEN pulchro cum successu se serius adhuc venaesectionem instituisse asseuerat *d*). Justisque sub cautionibus sero adhibitam phlebotomiam quoque probat, qui hoc

a) *Aphor.* 8. *Sect. V.*
b) *Epidem. L. III. aeger* 8.
c) *Tract. de pleuritide p.* 99.
d) *Comm. in aphorism. Boerh. T. II. p.* 157.

hoc de argumento ex instituto solide tractauit cl. KLOEKHOF *e*). Contigit etiam mihi in collegio clinico ill. SCHROEDERI Praeceptoris et Fautoris mei vsque ad cineres colendi, felicissimos obseruare serioris phlebotomiae in febribus inflammatoriis et acutis aliis institutae successus. Praeterea quoque notandum, in decursu febrium acutarum post plures dies aliquando visceris cujusdam inflammationem demum accidere, vel antea jam sublatam redire, vbi dolor punctorius, febris vehementior, aliaque symptomata seram quandoque sanguinis euacuationem maxime postulant. Immo inflammatio noua marginis jam suppuratae partis tanta symptomata excitare potest, quae sanguinis detractionem exigunt, praesertim si aegroti robustiori constitutione gaudeant, nec sanguinis inopia jam praesens auxilium istud potius omittendum suadeat. Fatendum quidem, hanc dijudicationem indicantium venaesectionis quandoque difficultatibus implicatam esse, quae medicos in praxi medica jam exercitatos ac circumspectos, et multo magis tyrones ancipites reddere possint, an omittendae vel instituendae venaesectionis consilium praeferri mereatur. Optime tamen agimus, si indicationes a viribus aegrotantium et vehementia symptomatum, a plethora, phlogistica diathesi, ipsaque inflammatoria stasi pendentium formatas ita sequamur, vt aliarum etiam caussarum, simul forsan praesentium, quas venaesectio non mi-

 nuat,

e) *Opusc.* p. 117. *seqq.*

nuat, sed aliquando nocentiores reddat, accuratam semper, quoad fieri possit, rationem habeamus; neque seriorem nimis metuamus dierum ab initio morbi numerum. Quod ipse GALENVS quoque jam docuit, *quocunque morbi die mittendi sanguinem scopos in laborante inueneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiamsi vel vigesimus is ab initio extiterit f).*

§. VII.

Cum aestimationis virium in omnibus euacuationum generibus ratio habenda sit; maxime necesse est, vt in determinanda venaesectione et quantitate sanguinis detrahendi ad virium discrimina, et ad varias, quibus impediuntur et imminuuntur, caussas respiciamus. Occurrunt casus, vbi quidem vehementia febris aliaque symptomata venaesectionem desiderant, sed vires aegrotantium imbecilles et prostratae illam permittere non videntur, ideoque dubium reddunt medicum, num sanguinem euacuare debeat vel non. Hinc dissensus medentium in phlebotomia administranda, vbi vires deficiunt. Minime quidem laudandi videntur, qui propter omnem imbecillitatem venam secare dissuadent, nec tamen ideo culpandi, qui contraindicans hocce non plane negligunt. Ad dijudicandum itaque, an venaesectio sub infirmis aegrorum viribus conueniat, vel non, considerandae sunt caussae imbecillitatis, quas diuersae indolis esse, nemo igno-

f) *Meth. Med. L. IX. c. 5.*

ignorat. Sunt enim aliae, quae ſanguinis miſſionem plane dehortantur, vel eandem caute celebrandam ſuadent; ex quibus praecipuae ſunt, colluuies vitioſa primarum viarum, ſtatus putridus humorum circulantium, contagium ſyſtema neruoſum immediate afficiens, contentiones nimiae ſyſtematis neruoſi in deliriis, vigiliis, et motibus conuulſiuis, excretiones nimiae cum ſanguineae tum ſeroſae. Sed plethoram, ſanguinis boni copiam nimiam, ex praecipuis quoque debilitatis cauſſis eſſe, omnes norunt, qui perſcrutandis et cognoſcendis cauſſis morborum et ſymptomatum aliquam nauarunt operam. Plethorici enim aliquando languore artuum, capitis grauitate, vertigine, ſenſuum internorum et externorum torpore et imbecillitate affliguntur, ad quae mala ſuperanda, viresque reſtaurandas et erigendas, venaeſectione nihil eſt efficacius, quod ex obſeruationibus optimorum Medicorum facile colligere poſſumus. Ill. van SWIETEN *a*) plethoricos in febribus ſaepe debiliſſimos ſe inueniſſe, poſt largam vero ſanguinis miſſionem redeuntes iis priſtinas fere corporis vires obſeruaſſe, refert. HVXHAMVS *b*) fortes et plethoricos magna ſpirituum deiectione, vniuerſali debilitate conjuncta cum tardo atque ſuppreſſo pulſu, etiam febre correptos animaduertit, quibus venaeſectionem, ait, optimum et promtiſſimum fuiſſe remedium. Neque BALLO-

a) *Comment. T. II. p.* 270.
b) *Oper. phyſ. med. T. II. p.* 131.

nivs ob virium defectum a ſanguinis miſſione ſemper abſtinendum cenſuit, dum *peripneumonici*, dicit, *ſaepe ſunt imbecilles et delinquunt animo ob incendium et obſidionem partis principis, et tamen non oportet eſſe valde timidos in vena ſecanda, immo audacter ſanguis mittendus c*). Sed ſummopere cauendum eſt, ne decipiamur in dignoſcendis affectionibus, quae abundantiam ſanguinis deſignare ſolent. Quae enim ſigna verae habentur plethorae, nimirum pulſus magnus ac durus, calor illi reſpondens per totum corpus aequalis, reſpiratio difficilior, praeſertim poſt aliquem corporis motum, grauitas moleſta corporis, vertigo et reliqua, fere omnia maxime fallacia ſunt, niſi reliquas in cauſſas, quae ſimili alias ratione corpus mutare valent, accurate ſimul inquiramus, diuerſisque plane modis a nimia ſanguinis mole corpora affici poſſe, probe perſpectum habeamus. Satis quippe certa conſtat obſeruatione, magnum et durum pulſum in iis etiam quandoque reperiri, quibus ſanguis mole ſua non abundat, et viciſſim in vere plethoricis, immo et ſimul febre acuta laborantibus pulſum debilem et paruum, nonnunquam et intermittentem. Quod ipſum quidem poſterius tunc inprimis contingere ſolet, vbi aegri peripneumonici de magna anxietate et oppreſſione pectoris conqueruntur, quibus etiam phlebotomia praeſentiſſimum ſaepe eſt remedium ad reſpirationem faciliorem reddendam, aliaque plethorae incom-

c) *Opp. omn. ed. Tronch. T. I. p. 16.*

commoda simul ex voto leuanda. Nam debilitas pulsus his in aegris non ab inopia sanguinis, sed ab ipsius circulatione per pulmones impedita oritur, qua nempe fit, vt minor sanguinis copia ad posteriorem cordis ventriculum, a quo arteriarum in carpis pulsatio pendet, propelli possit. Etiam inde collectus in capite sanguis et per conjunctam saepe tussim in minora ejus vasa coactus, spasticaeque affectiones, et forte simul contingentes neruorum cordis aliorumque compressiones ad pulsuum debilitatem et paruitatem in peripneumonicis multum conferre poterunt. Habemus ergo, quod nobis maxime caueamus, ne in ordinanda phlebotomia pulsui ejusque indiciis plane confidamus, et ex hoc solo indicantia vnquam deducamus, cum constet, spasmos, congestiones, flatus pulsum ita variare et turbare posse, vt si tantummodo ex illo judicemus, aliquem nimis imbecillem facile haberemus, cui tamen vires optime suppetunt, et valentem contra, quem omnino valde deficiunt. Fere simili autem ratione quoad reliqua etiam plethorae signa se res habet, prouti ex accuratiori satis constat pathologorum doctrina.

§. VIII.

Nunc de iis dicamus momentis, quae attendenda sunt in celebranda venaesectione, si febres complicatae occurrunt. Affectionum complicationes morborum curationem difficiliorem reddere, nemo

Medicorum ignorat. Nam non raro euenire solet, vt nonnulla ex indicantibus sibi contraria sint, et quaedam eorum vel non permittant aliis satisfacere, vel oppositam quoque medendi rationem postulent. Hoc vero dubio in statu Medicus omnem circumspectionem, omnemque diligentiam adhibere debet in examinandis et dijudicandis indicationibus, quo illis, quas maxime vrgere animaduertit, prae aliis satisfacere studeat. Atque hoc praesertim in ordinanda phlebotomia maxime est obseruandum, cum illa saepe mixtis sub conditionibus indicatur, vbi morbi decursum in aegri commodum vel damnum multum immutare valet. Qua in re ne errores committantur, sollicite sunt considerandae febrium diuersae indoles et complicationum gradus. Febres aliquando obseruantur fere penitus inflammatoriae et sanguineae, vbi omnia symptomata diathesi phlogisticae respondent, vbi signa colluuiei vitiosae primarum viarum, putredinis, et perturbati systematis neruosi desunt, et in quibus plerumque sanguis inflammatorius emittitur; in hoc febrium genere a methodo antiphlogistica, temperantibus, diluentibus et praeprimis a venaesectione tempestiua, sufficienterque repetita expectanda est curatio. Quodsi vero ad aegros accuratius attendamus, hoc genus febrium multo rarius esse, quam multi Auctores et Practici docuere, animaduertemus. Plurimae enim febres inflammatoriae nostro minimum sub coelo, et prouti ex multis aliorum relationibus conji-

conjicere licet, etiam in aliis regionibus ab hac simpliciori indole recedunt, aliasque conjunctas habent affectiones; hinc non raro accidit, vt in inquirendis phaenomenis quaedam cognoscamus, quae vitiosam humorum in primis viis praesentem colluuiem declarant; lingua est sordida, muco albo vel varie flauo obducta, appetitus prostratus, conqueruntur aegri de sapore molesto et saepe amaro, de nausea, dolore capitis, sensu plenitudinis et anxietatis circa praecordia, vomitus et diarrhoeae incidunt, atque hae spontaneae euacuationes tunc persaepe, nisi male tractentur, multum leuaminis afferunt. Hae febres inflammatoriae biliosae secundum diuersitatem proportionis colluuiei vitiosae ad diathesin phlogisticam, diuersam quoque curationis methodum requirunt; quod praesertim quoad venaesectionem instituendam notatu maxime dignum existimamus.

§. IX.

Quodsi ab omni hypothesi alieni, indicantia a diathesi inflammatoria ipsisque inflammationibus, et biliosa colluuie desumenda accuratius contemplemur, aliquando haec magis vrgentia inuenimus, ita quidem, vt febris, dolor, anxietas, omniaque symptomata colluuiei vitiosae primarum viarum respondeant, et ab illa dependere videantur. Hac in complicatione sanguinis euacuatione plane carere possumus, immo et hac celebrata omnia in pe-

jus facile ruunt, dolores augentur, et aegri maxime debilitantur; materiam vero vitiosam si rite praeparemus, et mobilem factam per apta medicamenta euacuemus, optimo cum successu aegrotos seruatos et sanitatem restitutam videmus. Quem statum mixtum ex diathesi phlogistica et biliosa etiam veteres Medicos bene cognouisse, et in curatione bene distinxisse, non est, quod dubitemus, si libros eorum consulamus. HIPPOCRATES minime omni in pleuritide sanguinem detraxit, sed bene distinxit, an sanguineae aut biliosae essent, hujusque differentiae in curandis morbis semper rationem habuit, vt ex scriptis ejus satis patet *a*). BALLONIVS, quem non fugiebat morborum inflammatoriorum alios per sanguinis missionem, alios per purgationem curandos esse, docet: dolores pectoris et a colluuie vitiosa primarum viarum aliquando oriri, vbi phlebotomia nihil aut parum juuat; euacuantia et laxantia vero manifeste istos dolores leuant; alio loco dicit: *magnae est prudentiae obseruare in aegris, quibus venaesectio et quibus purgatio potius conferat, ne peccetur in medendo b*). BAGLIVVS in dignoscendis hisce morborum caussis bene versatus, non ignorabat, sordes in primis viis collectas biliosas, simul cum inflammationibus conjunctas,

pecu-

a) *Aphor.* 10. *Sect. IV. coac.* 491. *De morb. L. I. c.* 23. 24. Conferri etiam quoad praecepta veterum de venaesectione et purgantibus merentur GLASS *de febrib. comment. VI. et VII.* et KLOEKHOFF *Opuscul. p.* 55 - 62.

b) *Opp. om. T. I. p.* 72. 121.

peculiare morbi diſcrimen conſtituere, diuerſamque curandi methodum requirere. Licet venaeſectioni in deuincendis morbis inflammatoriis multum tribuat; tamen illam vetat, vbi materiae morboſae primis in viis congeſtae, pleuritidem producentis et quotidie fouentis, copia deprehendatur *c*). Haud minus notabilia hac de complicatione BIANCHI memoriae prodidit, qui ſemper in curandis morbis ad illam, et praeſertim quoad ſanguinis miſſionem reſpexit; *in bilioſae pleuritidis*, inquit, *initio mittendus quidem ſanguis eſt, ſi ſputum difficile, febris, dolor, et ſpirandi difficultas in juvene praecipue et vegeto corpore inualeſcant cum magna vniuerſali exaeſtuatione. Quotiescunque vero haec omnia aut plura non ſint, praecipue ſi venter prius turgidus extiterit, aut in morbi inuaſione turgeſcat, mittendus ille non eſt; hoc namque praeſidii genere in biliari pleuritide, vtut acutae ſigna incauto colluderent, plurimos repentine proſtratos et ad ſeptimum aut nonum diem e viuorum numero ſublatos dolente certe experientia perſpeximus d*). In diario clar. VANDERMONDE deſcriptum morbum epidemicum reperimus, cujus ſymptomata illis in pleuritide inflammatoria ſimilia erant, ſed remedia, quae alias his in morbis optimum praeſtant vſum, non ſolum nihil juuabant, ſed etiam haud parum erant noxia, praeprimis venaeſectiones multum damni inducebant, licet ſanguis miſſus inflammatorius appare-

c) *Opp. p.* 40. *ſeqq.*
d) *Hiſtor. hepat. p.* 242.

pareret, vomitoria vero et euacuantia felicissimo cum successu adhibebantur *e*). Cel. Tissotus peripneumonias biliosas obseruauit epidemicas, vbi omnes, quibus sanguis detractus, mortuos; qui vero omissa venaesectione vomitoriis et euacuantibus vsi sunt, sanatos memorat *f*). In collegio clinico, quod duce ill. Schroederi, Praeceptoris mei summe venerandi, frequentaui, obseruare mihi licuit aegros febre vehementi et dolore acuto in latere afflictos, quos, ob indicia praesentis colluuiei biliosae turgentis, per laxantia et vomitoria, absque omni sanguinis detractione, optime curatos vidi. Hoc in statu complicato si Medicus per symptomata, pleuritidem mere inflammatoriam simulantia seductus per phlebotomiam praesertim juuare studet, et tempus catharticis adhibendis opportunum praetermittit, saepe deliria, sopores, conuulsiones, aliaque symptomata grauissima oriuntur, quae summe probabili ex conjectura non accessissent, si accuratior attentio ad veras morbi caussas adhibita fuisset.

§. X.

Plura quidem ex scriptis cum veterum tum recentiorum adduci possent, quae praesens non raro superpondium diatheseos biliosae in complicatione cum inflammatoria ipsisque inflammationibus confirma-

e) *Recueil periodique d' observ. de Med. T. IV. p.* 130.
f) *Diss. de febr. bil. in Opp. T. I. p.* 103.

firmarent; ista vero cum sufficere jam videantur, illum modo mixtum statum adhuc memorandum censeo, qui characteres diatheseos phlogisticae et biliosae aequali fere gradu sistit. Propositam hancce complicationem experientiae conformem esse, attenta in praxi obseruatio non infrequenter docet, nec ea de re quis dubitabit, qui Auctorum obseruata studiosius perpenderit. Deprehendimus non raro aegros febre inflammatoria laborantes, dolore acuto, pulsu magno et celeri, difficili respiratione et oppressione pectoris afflictos, qui simul conqueruntur de amaritie oris, appetitus defectu, nausea, quam et aliquando comitantur vomitus, et diarrhoeae biliosae, in quibus etiam lingua sordibus est tecta, ac praecordia interdum tumida sunt, tensa et dolentia. Hic nisi maxima cum attentione aegros obseruemus, et caussas consideremus, facile in formandis indicationibus in errores incidere possumus, praesertim si ex hypothesi quadam vel colluuiei biliosae vel plethorae et ebullitioni sanguinis inflammatoriae ad haec symptomata producenda nimis tribuamus. In curandis his febribus, vt diathesin inflammatoriam debellemus, et saburram biliosam turgentem euacuemus, indicationes postulant, quae vero aliquando tam confusae et simul inuicem mixtae sunt, vt nullae praeualere videantur; vbi facile quis incertus esse poterit, an a purgatione aut potius a sanguinis euacuatione curatio incipienda sit. Vbi tamen de vtraque conditione

in

in aegris aequali fere gradu praesente satis certo nobis constiterit, tutius judicamus prius venam secare et deinde justis sub cautionibus vitiosam materiam in primis viis haerentem per euacuantia, vel cathartica vel emetica, educere. Quodsi vero ancipites quodammodo quoad inflammatoriam diathesin haereamus, quippe quae saepe minus manifestis signis, ac biliosa colluuies sese prodit, catharticis idoneis antiphlogisticis, quae mobiles simul reddunt sordes, minores illorum doses repetendo, curationem incipere, et pro vario leuamine et euentu, ex quibus de inflammatoria diathesi post aliquot horas, vnumque vel alterum diem, certius constabit, venaesectionem subjungere vel omittere licebit. Quam curationis methodum optime cedere et indicationibus accommodatam esse, nemo dubitabit, qui eadem vsus est ad hos morbos curandos. Nec desunt Medici in arte salutari versatissimi, qui hanc medendi viam ingredi suadent. BALLONIVS *a*) sanguinis missionem purgationi praemittendam esse docet, dum duorum remediorum vsus incedit necessarius. BIANCHI *b*) sub aequali indicatione phlebotomiae et catharseos a sanguinis missione curationem inchoauit. THOM. GLASS *c*), doctrinas vere Hippocraticas multo studio exponens, in hoc stadio complicato venaesectionem pariter praemittere suadet purgationi, praesertim vero ciendis vomitio-

mitio-

a) *Opp. T. I. p. 57.*
b) *Histor. hep. p. 200.*
c) *Comm. de febr. p. 92.*

mitionibus, ſi hae requirerentur. Vomitoria enim, plethora vera vel ſtaſi inflammatoria in viſceribus praeſente, hanc facile augere, aliaque ratione ſanguinem commouendo fibrarum criſpaturas ſpaſmodicas inducendo nocere poſſent; ad quod praecauendum et illorum vſum ſecuriorem, et ſimul, quod memorabile, efficaciorem reddendum, venaeſectiones praemiſſae multum conferunt. Quod etiam cel. Cleghorn in febre tertiana epidemica expertus eſt; cum enim ſanguinis detractiones et euacuantia ſimul indicarentur, optimo cum ſucceſſu primum venaeſectionem inſtituebat *d*). His ſub conditionibus mixtis non raro accidit, vt aegri poſt ſanguinis detractionem ſponte materiae vitioſae partem per vomitum aut per aluum ejiciant, quod illis ſaepe maxime conducit, multumque leuaminis affert.

§. XI.

Aggredior aliud genus febrium, putridarum nempe, in quibus humores a naturali ſua indole, majori minoriue putridae corruptionis gradu receſſerunt, quas vero etiam, cum reſpectu originis et cauſſarum, tum complicationum cum aliis, magnum intercedit diſcrimen. Ad quod ſi reſpiciamus, facilius erit dijudicatu, quaenam iis medendi methodus conueniat, et an quoque venaeſectio, cujus nos praecipue nunc rationem habemus, earum in cura-

d) *Obſerv. on the diſeaſ. in Minorca 3t. ed. p. 197. by ſeaſonable evacuation of bleeding the operation of emetiks and catharticks is rendered ſafer and more ſuccesful.*

curatione aliquem, et quibusnam sub conditionibus, inuenire locum possit. Qua in re Medicos haud parum dissentientes reperimus, cum sanguinis missionem nonnulli impense laudent, aliis eandem fere penitus proscribentibus, etiam inter eos, qui auxilium hoc admittunt vel postulant, quoad ipsas conditiones sententiarum diuortia sint. GALENVS *a*) pluribus locis venaesectiones saluberrimas praedicat non solum in febribus continentibus, verum etiam in aliis omnibus, quas putrescens humor concitat. Aegyptios omnibus in morbis putridis etiam pestilentialibus sanguinem misisse PR. ALPINVS memoriae prodidit *b*). CELSVS in febribus pestilentialibus sanguinis detractionem ceteris medicamentis praefert, *in his febribus*, inquit, *minime vtile est*, *fame aut medicamentis vti*, *aut aluum ducere*, *si vero vires sinunt*, *sanguinem mittere optimum c*). SYDENHAMVS totum fere curationis negotium in peste cum BOTALLO in copiosa venaesectione collocat *d*), affirmans, nulli peste laboranti largam et plus semel iteratam sanguinis missionem funestam fuisse. Minime vero horum Auctorum doctrina de vena in febribus putridis et pestilentialibus secanda generaliter assumenda videtur. Sed ad determinandum, an venaesectio his in febribus locum habeat, probe distinguendae sunt illarum diuersae indoles ac origines.

§. XII.

a) *Method. Med. L. II. c.* 15.

b) *De Medic. Aegypt. L. II. c.* 3.

c) *De Medic. L. III. c. 7. p.* 146. *edit. Ien.*

d) *Opp. p.* 117. *seqq.*

§. XII.

Primum itaque attendamus ad statum putridum a colluuie vitiosa circa praecordia haerente originem trahentem. Materia alienata in primis viis collecta, et putridam praesertim bilem largius admixtam habens, viscerum et neruorum functiones multum perturbare, et cum in massam sanguineam resorpta fuerit, humores omnes inficere, et pessimam saepe cum sanguinis dissoluti indiciis febrem producere solet. In curandis vero hujusmodi febribus indicationes postulant, vt materia corrupta in praecordiis adhuc latens justas secundum cautiones ex corpore eliminetur, resorptio illius in sanguinem praecaueatur, putredo humorum jam coepta corrigatur, pluraque per colatoria, quod corruptum et excretioni aptum fuerit, naturae molimina caute obseruando, sensim educatur. Effectus autem venaesectionis si accuratius perpendamus, illos modo memoratis indicationibus non solum persaepe non respondere, sed iis etiam aduersos esse, facile animaduertimus. Licet enim quandoque contingat, sanguinis missionem efficere, vt natura sponte vel etiam parum adjuta per vomitus aut alui dejectiones aliqua parte vitiosae ad primas vias collectae colluuiei ex voto se liberet, atque tum hoc tum alio respectu interdum sub hoc rerum statu prosit, certasque ob rationes conjunctas commendanda sit; tantum tamen persaepe quoque abest, vt phlebotomia ad sordium euacuationem aliquid conferat, vt po-

tius illam difficiliorem reddat, variisque modis noceat. Debilitat enim et consumit vires, quae tamen his in aegris maxime conseruandae sunt, siquidem quo debilior aegrotus, eo difficilior curatio euadere soleat. Praeterea cum sanguinis detractiones vasa laxent, vasorum vero relaxatio efficiat, vt vbique tenuissimae venae resorbentes facilius tradere possint absorptum liquidum majoribus ramis venosis, sequitur, vt illae hunc effectum quoque praestiturae sint in promouenda resorptione materiae putridae, quae in ventriculo et canali intestinorum stagnauerit *a*). Ex his patet, phlebotomiam in putridis gastricis febribus facilius nocere quam prodesse posse, metuendumque sub memorata conditione omnino esse, quin diathesin putridam augeat, morbumque grauiorem et periculosiorem reddat. Hisce quoque cum rationibus manifeste consentiunt obseruationes celeberrimorum Medicorum cum veterum tum recentiorum, quas a BIANCHIO, HVXHAMO et TISSOTO magna cum diligentia collectas propriisque auctas inuenimus. Attamen etiam notandum est, minime semper humores circulantes putredine tam facile infici, vt hujus quid noxae obseruetur, licet materia alienata et corrupta in primis viis reperiatur. Durior et major pulsus cum aestu et siti rationem seruans, etiam viribus artuum et mentis non multum prostratis, sanguinis missionem quandoque admittit, et postulat, eademque

a) Confer QVESNAY *traité de la Saignée, a Paris* 1750 *p.* 462.

que commode tunc fertur, licet manifeſta putridae colluuiei adſint indicia; vbi modo haud negligamus, catharticis antiſepticis et antiphlogiſticis per interualla datis primas vias ſenſim et caute expurgare. Febres quoque bilioſae putridae aliquando inflammationes viſcerum v. gr. pulmonum, ventriculi, hepatis etc., conjunctas habent, quae ex ſignis et ſymptomatibus earum pathognomonicis ita comparatae cognoſcuntur, vt magno cum aegrorum commodo vena ſecetur. Exempla harum febrium complicatarum reperimus, ſi hiſtorias morborum epidemicorum conſulamus. Ita CLIFTON WINTRINGHAM *b*) febres hujus generis epidemicas ſub febrium continuarum remittentium nomine deſcripſit, quarum quaedam ad inflammatoriam indolem magis minusue inclinarunt, et euacuantia pariter ac ſanguinis miſſiones poſtularunt. Ill. PRINGLE in deſcriptione febris bilioſae, qua et putridas remittentes comprehendit, ejusmodi caſuum quoque mentionem facit, in quibus venaeſectiones juſtis ſub cautionibus inſtitutas maxime vtiles inuenit *c*). Etiam in febre illa Culenburgenſium epidemica, quam accuratus obſeruator cl. KLOEKHOF deſcripſit, ſimilem complicationem, quae et repetitae phlebotomiae locum raro conceſſit, attentus quisque lector facile animaduertet *d*). His ergo ſub conditionibus mixtis venaeſectiones aliquando locum habere et cum

 vtili-

b) *In Comment. Noſol. paſſim.*

c) *Obſerv. on the Diſeaſ. of the Army Ch. IV, p. 174. 200.*

d) *Opuſc. med. p. 50.*

vtilitate administrari non dubitamus. Etiam celeberrimi Viri QVESNAY *e*) et TISSOT *f*), qui in curandis febribus biliosis putridis a phlebotomia plerumque abstinendum esse, ex rationibus satis euidentibus docuerunt, necessariam tamen illam judicant, si plethora, inflammatoria diathesis, veraeque inflammationes simul cum illis praesto fuerint. Sed maxime cauendum, ne in diagnosi plethorae peccetur, neque turgescentia, ipsaeque stases inflammatoriae a colluuie putrida excitatae, cum illis ab inflammatoria humorum diathesi oriundis, confundantur. Homines enim constitutionis biliosae raro sanguinem ratione molis aut massae abundantem habere, accuratior obseruatio omnino confirmare videtur *g*). Quodsi signa inflammationis in hoc morbo venaesectionem indicare videantur, insignis momenti res est, vt diatheseos putridae gradus, quoad fieri poterit, distinguantur, et probe inquiratur, an materia corrupta in massam sanguineam delata fuerit, illiusque crasin jam immutauerit; quod ex qualitate sanguinis forsan missi, vel sponte ex naribus, vel aliunde effluentis, ex indole excretorum, et exanthematum accedentium facie, magna ex parte cognoscitur. Tunc vero sanguis vel plane non, vel non nisi parua quantitate, et maxima cum cautione vlterius mittendus est.

§. XIII.

e) *L. c. p.* 467.

f) *Auis au peuple. p.* 262.

g) Confer TISSOT *diss. de feb. bil. Laus. in opusc. med. T. I. p.* 101.

§. XIII.

Nunc dicamus de illis febribus, quae putredinis ſtipatae quidem ſunt indiciis, ſed a praecedentibus in eo diſcrepant, quod praeſens humorum corruptio ex colluuie primarum viarum bilioſa et putreſcente originem ſuam vel plane non habeat, vel ſaltem illi, quae adeſt, non reſpondeat; vbi nempe alienatae hujus materiae characteres penitus deficiunt, et, ſi etiam adſint, talis tamen cauſſarum et ſymptomatum conditio animaduertatur, vt putridam febrium indolem aliunde omnino deriuandam eſſe cognoſcamus. Varia autem ratione his in febribus humorum corruptelam produci conſtat, primum nempe, dum putridus qualiscunque fomes praeter illum ex primis viis memoratum maſſae humorum ſe inſinuauerit; dein vbi ita aucta vel imminuta fuerit ſolidorum in humores actio, vt horum craſis violente aut ſenſim inde peruertatur ac diſſoluatur; praeterea etiam, ſi naturalis humorum in putredinem propenſionis correctio, quae febrilibus in morbis inprimis neceſſaria eſt, negligatur; ac tandem quoque, vbi quacunque ex cauſſa non ſuccedat, vel impediatur, quae abigendae inſeruit putredini, juſta corruptorum excretio. Maxime vero differre, quoad decurſum et ſymptomata, febres hujusmodi putridas, quas cognominibus ſanguinearum et neruoſarum a gaſtricis putridis commode forſan diſtinguere licet, dubitare nemo poterit, qui cauſſarum diſcrimina perpendit, quae ipſa etiam

aegrorum obseruatio euidenter confirmat. Quodsi enim febres, ex putridis aegrotantium aut jam defunctorum, aliisue noxiis effluuiis ortas, quales sunt carcerum, nosodochiorum etc. cum iis conferamus, quae aestu atmosphaerae, vitio regiminis, diaetae et curationis, itidemque cum illis, quae a putrefactis vermibus, et quae sunt reliqua, excitantur, differentiam insignem facile animaduertemus. Inprimis vero notandum videtur, quod optimorum quoque Medicorum obseruatione satis constat, initio febrium, quarum putridam indolem aliquo jam gradu praesentem et manifestioribus sensim indiciis se se prodituram cognoscere licet, inflammatoriam diathesin quandoque simul esse conspicuam; nonnunquam et sine hypothesi putridae humorum corruptionis partem vitiosae adscribi posse primarum viarum colluuiei; interdum quoque torporem illum et stuporem, vitaliumque functionum languorem, quibus neruosa lenta febris dignoscitur, alias vero contra satis magnam, neque raro nimiam systematis neruosi sensibilitatem atque irritabilitatem, et singularem in ejusdem functionibus perturbationem conjunctam reperiri. Viscerum etiam inflammationes quandoque nunc primarias, nunc symptomaticas; aliquando exanthemata, variolas, morbillos, purpuram, miliares papulas, scarlatinas maculas, petechias; nonnunquam catharrhos cum hisce febribus copulatos obseruamus. Pro diuersa autem febrium hujus indolis putridarum origine, propria-

que

que conjunctarum affectionum natura, nunc epidemicae, nunc ſporadicae, nunc etiam contagioſae immo et peſtilentiales, nunc vero contagio immunes deprehenduntur.

§. XIV.

Putridam vero humorum circulantium diatheſin in febribus ideo interdum euolui, quod abundet ſanguis, et vehementius per vaſa moueatur, etiamſi denſus ac inflammatoriae indolis ſit, neque vlla ex reliquis putredinis cauſſis accedat, inter Medicos ita conſtare videtur, vt nulla vlteriori probatione indigeat. Hinc vero magna ex parte eſt, quod nutrientia et calefacientia in febribus permultis tam facile noceant, humorum craſin peruertendo, benignamque coctionem in diſſolutionem ac deſtructionem immutando. Ideoque nemo etiam erit, qui haec ſatis intelligens dubitare poſſit, quin ſanguinis miſſio ſub modo indicatis conditionibus ex praeſtantiſſimis haud raro et quandoque ſane ex neceſſariis quoque ſit praeſidiis ad auertendam putridam humorum degenerationem, praeſertim quum et experientia hanc inſignem ejus efficaciam, ſi modo cum victu, curatione et regimine, antiphlogiſticis jungatur, omni die ſatis euidenter confirmet. Ex his autem nec difficulter intelligimus, eo magis et grauius abundantem ſanguinis molem, praeſentemque inflammatoriam diatheſin, febrisque vehementiam in putredine producenda et acceleranda

nocere, si peculiares aliae putredinis humorum caussae v. c. putridae ex aegrotis vel cadaueribus exhalationes febribus accesserint, vel his ipsis ansam dederint. Quare nec vllus dubio locus erit, quin sanguinis missio quantocyus, minimeque sero nimis instituta, ista sub rerum conditione quam plurimum praestare queat ad praecauendum putredinis celerius incrementum, ad stases subortas expediendas, ad vires, quo facilius corruptis jam partibus liberare corpus valeant, leuandas. Attamen satis etiam constat, missionem sanguinis, vbi nulla ejus adfuerit abundantia, singularem saepe et quandoque dein vel optimis quoque remediis insuperabilem noxam iisdem in affectibus adferre, et eo quidem majorem, quo plus educatur sanguinis, quo majorem ad gradum putredo jam prouecta sit, quo grauior simul adsit infirmitas et perturbatio systematis neruosi, quo plus forte simul vitiosae camarinae primis in viis haereat, quo copiosiores symptomaticae inciderent excretiones, neque minus quo propius leuamina et criticae excretiones, aut metastases, quae natura moliatur, institerint. Conformia hisce quoque videntur esse praecepta GALENI, vbi de sanguinis mittendi ratione in continentibus putridis egit *a*), et plurimorum eum sequentium; quem etiam quoad integram febres hasce tractandi methodum FORESTVS laudat *b*); similiaque fere consilia

a) *Meth. Med. L. XI. c. 14.*

b) *Obseru. XIV. L. I. in schol. et obseru. XVIII. L. I. in schol.*

ſilia reperimus apud BALLONIVM c) et FERNELIVM d), etiam recentiſſimorum optimae fidei ſcriptorum complures, van SWIETEN e), PRINGLE f), MONRO g) et HVXHAM h). Permagna autem circumſpectione opus eſſe, ne in dignoſcendis illis phlebotomiae indicantibus decipiamur, quisque largietur, qui nouerit orgaſmum putridi ac diſſoluti ſanguinis aliquando plethoram et inflammatoriam diatheſin ſimulare, atque ſpaſticas congeſtiones, attenuatique ſanguinis ecchymoſes inflammatoriis affectionibus nonnunquam aemulas apparere, ita quidem, vt exercitatiores etiam viri errorem hac in re grauem ſubinde perquam difficulter euitari confiteantur i). Quum igitur multos, etiam qui plethorici apparuere, et quibus violentior fuit ſanguinis orgaſmus, absque venaeſectione ex putridis hujusmodi febribus his ſub conditionibus conualuiſſe, immo et pleuritide, peripneumonia k), angina l) aliaue inflammatione ſimul correptos a miſſo ſangui-

c) *Opp. omn. T. I. p. 7.*

d) *Meth. Med. L. II. c. 15.*

e) *Comment. T. II. p.* 441.

f) *Obſ. on the Diſeaſ. of the Army. P. III. ch. 7. p.* 307.

g) *Account of the Diſeaſ. vvhich vvere moſt frequent in Brit. Milit. Hoſp. in Germany. p.* 13.

h) *Opp. T. II. c. VIII. p.* 102. 104. 107.

i) PRINGLE et HVXHAM. *l. l. c. c.*

k) HVXHAM. *Opp. T. II. p.* 107. 191.

l) FOTHERGILL *Account of the putrid ſore throat. Ed. Vlat. Lond.* 1769. *p.* 41.

ne grauius in periculum saepissime incidisse m), plurimorum obseruatione satis euidenter constet, consultius omnino videtur, sanguinem aegris conseruare, quam illum detrahere, vbi jam certa incipientis putridae humorum dissolutionis indicia reperiantur, nisi cum satis manifesta simul adfuerit abundantia, et ab inflammatoria diathesi non multum adhuc discrepans, eidem, aut subortis inflammationibus conjuncta, sanguinis crasis, atque robustior firmarum partium textura. Quodsi enim conditiones hae non adfuerint in febribus putridis, multum noxae ex missione sanguinis metuendum, cum non solum vires circulationis, et systematis neruosi totius debilitet, ideoque salutarem naturae in morbo deuincendo efficaciam minuat, sed ipsam etiam putredinem facile augeat, laxiorem reddendo partium sanguinis cohaerentiam, atque spasmodicis affectionibus periculosis, et breui quandoque lethalibus, quam frequentissime ansam praebere soleat. Iisdem vero fundamentis quum cautiones, etiam in mittendo sanguine, vbi aliis ex caussis putridae sanguineae et neruosae febres ortae fuerint, obser-

m) Idem testatur FRACASTORIVS *de morb. contag. L. III. c. 5.* Conferri merentur, quae LANCISIVS habet ratione venaesectionis in hujusmodi febribus monita et obseruata in *Opp. T. I. p. 261. de nox. palud. effluv. L. I. P. II. c. 3. §. XII.* De summa cautione in variolis cum petechiis et haemorrhagiis ex putrida sanguinea febre ratione sanguinis mittendi adhibenda, vid. HILLARY'S *Practic. Essay on the Smallpox p. 129. seqq.*

seruandae, niti videantur, vlteriore de singulis tractatione nobis nunc supersedere licebit.

§. XV.

Singularem febrium quarundam, mitiori cum sanguinis orgasmo, cum languore, torpore, stupore conjunctarum, lenteque sine sanguinis vere putrida degeneratione progredientium, indolem ex recentissimis Anglorum Scriptoribus complures *a*), licet ipsum hoc genus nouum non sit *b*), accuratius descriptam, nouo *neruosae lentae* febris nomine distinxerunt. Peculiarem seri et pituitae vappescentiam in hac febre subesse, sanguinisque missionem perraro, nec nisi praesente forsan vera sanguinis abundantia, aut cum aliquando contigerit, febrem cum inflammatoria quadam diathesi complicatam esse *c*), locum reperire, omnemque detractionem sanguinis alias saepe periculosam et lethalem euadere, ex optimis de hac febre Scriptoribus *d*) quisque facile intellexerit. Etiamsi vero tum ex ipsis febrium harum neruosarum symptomatibus *e*), tum ex quibusdam cadauerum inspectionibus

a) Vid. inprimis HVXHAMI *Opp. T.* I. *p.* 163. *seqq.* et *T.* II. *cap.* VI. *p.* 75. et LANGRISH *Modern Theory Practice of Physik. ch. X.*

b) Conf. GLASS *Comm. de febrib.* VII. *p.* 143.

c) Confer. quae retulit cl. GILCHRIST in *Medical essays of Edinburg. T.* IV. et V.

d) LANGRISH *l. c.* §. 590. HVXHAM *Opp. T.* I. *p.* 163. *seqq.*

e) PRINGLE *L. c. P.* III. *ch.* 7. §. 6. *p.* 336.

bus *f*), conjectura quorundam de inflammatione partis encephali hisce febribus forte saepius juncta, probabilis videatur; nihilo tamen minus et Auctores illi, qui hanc cerebri affectionem animaduerterunt, cum venaesectione cautissime procedendum esse ex obseruatione sua docuerunt *g*). Sed praeter has febres etiam aliae quandoque occurrunt, quas ab irritato et perturbato systemate neruoso aeque commode et vere distinxeris; quum minus certe constet, quaenam functiones neruosas tam grauiter laedere posset, caussa, et quas forte accusares plethora, diathesis inflammatoria, cacochylia biliosa aut putrida, viscerum inflammationes, humorum putredo, vel desint, vel symptomatibus solito minus respondeant, vbi saepe nec vermium, nec alius irritamenti indicium reperiatur, neque, vbi forte lethalis fuerit morbi conditio, per sectionem cadaueris, caussa, quae accuratissime omnia perscrutanti plane satisfaciat, reperiri queat. Pulsus arteriarum varia ratione permutari, horrores et aestus, sitim, capitis, colli, lumborum dolorem, aliaque symptomata febrilia quandoque produci, vbi praeter sic dictam hystericam vel hypochondria-

f) *Th.* WILLIS *de morbis conuulsi. p.* 51. HOME *Medical Facts and experim. p.* 12.


g) HOME *l. c, p.* 4. diserte ait: *the pulse being rather vveak from the beginning, there vvas no indication to let blood in this disease.* et in *Princip. Medic. p.* 79. *phlebotomiam semper nocere,* affirmat, *nisi adsit status sanguinis inflammatorius, quod in quibusdam epidemicis constitutionibus accidit.*

driacam ſenſibilitatem ac irritabilitatem, aliamue nimiam ſyſtematis neruoſi mobilitatem, vix aliquam cauſſam aliam allegare poſſis, experientia non raro ſatis manifeſte conſtat *b*). Ipſas quidem febres intermittentes, etiam perniciofas, ſi accurate in cauſſas inquiſiueris, curationemque illarum certiorem attenderis, ipſo quoque conſentiente WHYTTIO *i*), ad neruoſas affectiones haud inepte referes. Sed reperimus etiam continuas, quandoque mitiſſimas, cum incertis horroribus, doloribus capitis, praeſertim occipitis aut verticis, itidemque ceruicis, lumborum, manuum et ſurarum, peruigilio, ſopore, deliriis primum fugitiuis, et interruptis, dein perſeuerantibus, tremoribus, vrina pallida, ruboribus tranſitoriis faciei et alterutrius genae, ſubſultu tendinum, ſingultu, motibus conuulſiuis, floccorum lectione etc. ſummo plerumque cum periculo, etiamſi cauſſae perturbati ſyſtematis neruoſi euidentiores nullas detegas, febresque interdum nec ad putridas, nec ad bilioſas, nec ad inflammatorias referre queas. Irritamentum alicubi tunc haerere, ejusque ſedem in hypochondriis maxime probabilem eſſe, et in ſtaſibus ſiue inflammatoriis ſiue aliis, in ſecretionum vitiis aut impedimentis, interdum in vermibus conſiſtere, quandoque forſan et neruorum origines primario affectas eſſe, ipſis e ſympto-

b) Confer WHYTT in *Obſeru. in the neruous diſorder. in Works p. 586.*

i) *Ibidem p. 587.*

ſymptomatibus et ex analogia colligimus; non aptius tamen quam *neruoſarum acutiorum* nomine haſce febres ab aliis diſtingui poſſe exiſtimamus. Complicatas autem has febres quandoque obſeruamus, ita quidem, vt nunc plus, nunc vero minus inflammatoriae ſint indolis, nunc ad bilioſarum genus ſimul referendae ſint, nunc diſſolutionis humorum putridae, quod quidem frequentius accidit, licet minime perpetuum ſit, conjuncta ſint indicia. Raro autem ad haſce febres miſſio ſanguinis laudabile praebet auxilium, quod nimia illa ſyſtematis neruoſi irritabilitas a ſingulari ejus debilitate magnam partem frequentiſſime pendeat, humoresque et ſanguis ipſe, juſto tenuiores eſſe ſoleant. Attamen vbi verior abundantis ſanguinis ac diatheſeos phlogiſticae aut inflammationis viſcerum praeſentis ſuſpicio ex accuratiori conditionum aegri perſcrutatione concipiatur, omittenda non erit efficacior haec medelae ratio, pro euphoria etiam aegrorum repetenda, aut ſubſtituendus hirudinum vel ſcarificationis in partibus grauius affectis vſus; quum, vbi res aegrorum iſta ratione ſe habeant, ab juſta ſanguinis detractione ad arcenda pericula, ac ad leuandam ſalubrem aliorum, quae praeterea requiruntur, auxiliorum actionem, permultum praeſidii expectari omnino quoque liceat.



V.

§. V.

Diſſertatio de febribus eryſipelatoſis. Publicē propoſita Gott. d. 10. menſ. Jun. 1771. Reſpondente BERNHARDO de ZIEGLER Helveto-Scaphuſiano.

§. I.

Inter plurimos humani generis morbos, de quorum vera indole, iisque medendi ratione, Medicorum etiam peritiorum ſententiae diſcrepant, quorumque peculiare momentum et periculum vlteriorem meretur diſquiſitionem, non vltimum ſane locum febres exanthematicae occupare videntur, quum non modo ſatis frequenter occurrant, illarumque major pars aegros non raro in grauius vitae diſcrimen conjiciat, ſed etiam ſi Auctorum de illis praecepta conferas, implicatiore ſua natura multam diſputandi materiem praebent. Ex hac equidem morborum claſſe, cum mihi ad ſummos in arte ſalutari honores adſpiranti ex legum academicarum praeſcripto ſpecimen inaugurale elaborandum eſſet, Febrem eryſipelatoſam elegi, quae, licet ſaepe minus diſcriminis habeat, ac variolae, morbilli, petechiae; non ſolum tamen, prout omnes largientur, ob adhibitam aut nullam aut minus congruam medendi methodum valde grauis euadere poteſt, ſed a probatiſſimae quoque fidei Scriptoribus

bus illam interdum exitioſam eſſe, ipſaque cum peſte quid cognationis alere perhibetur. Operam itaque me non plane perditurum exiſtimaui, ſi praecipua, quoad hujus febris differentias, cauſas et curationem momenta pro virium modulo exponere ſuſciperem.

§. II.

Prius vero, quam ad rem ipſam accedam, paucis praemonere viſum eſt, quid per febres exanthematicas tum generatim tum ſpeciatim intelligamus, ut, quomodo illae febres a ſe inuicem differant, et in primis qua ratione febris eryſipelatoſa a reliquis diſtinguatur, vno obtutu perſpici poſſit. Eas itaque *febres* dicimus *exanthematicas*, in quibus efflorefcentiae, maculae nempe vel tubercula in ſuperficie cutis inſtar ſymptomaticae affectionis apparent. Ratione habitus externi haec differentia in his exanthematibus obſeruatur, quod alia ſuperficiem cutis colore tantum praeternaturali inficiant, alia autem praeter colorem iſtum ſimul extra ſuperficiem cutis promineant, et papulas vel puſtulas forment. Illa *Maculae* vocantur, haec *Tubercula.* Ad priores pertinent

a. *Scarlatinae maculae*, quae rubrae ſunt, primo exiguae, incertae vero magnitudinis, figurae irregularis, ſenſim autem confluunt, maculasque majores, vel ruborem vnum latiorem efficiunt.

b. *Pete-*

b. *Petechiae*, quae maculae ſunt, illis ex pulicum morſibus fere ſimiles, modo rubrae, modo liuidae, modo nigrae.

c. *Eryſipelas*, quod eſt macula rubri vel ex rubro flaveſcentis coloris, cum tumore ſuperficiali, diffuſo, ardore et pruritu nunc majori nunc minori, ſubinde a parte in partem ſerpens.

Ad Tubercula referuntur

a. *Variolae*, quae ſunt puſtulae paruae, rubrae, per faciem et reliquum corpus diſperſae, in ſuppurationem tranſire ſolitae.

b. *Morbilli* ſunt tubercula exigua, perparum extra ſuperficiem cutis prominentia, per totum corpus pariter diſperſa, in ſquamulas furfuraceas abeuntia.

c. Exanthemata *miliaria* ſunt papulae prurientes, ſeminis milii magnitudine, vel rubrae, vel ſero primum pellucido, dein ſubalbo plenae, in pluribus corporis partibus, facie plerumque excepta, erumpentes.

d. *Aphthae* ſunt vlcuſcula exigua, rotunda, ſuperficialia, quae in ore interno effloreſcunt.

e. Exanthemata *vrticata* ſunt tubercula, quae vrticarum puncturas referunt, cum pruritu moleſto conjuncta ſunt, et facile recedunt, iterumque prodeunt, donec plane diſpareant.

f. Febris *bulloſa* ea dicitur, in qua veſiculae pellucidae, magnitudinis auellanae vel paulo majores,

jores, sero sublimpido turgidae, absque cutis inflammatione erumpunt.

§. III.

Morbus jam, de quo disserere animus est, variis nominibus apud Auctores occurrit. A Graecis vocatur Erysipelas, quam vocem alii παρα το ἐρυεσθαι ἐπὶ το πελας, quod serpat in loca vicina; alii ab ἐρυθρος a colore rubro deriuant. Scriptorum latinorum princeps, CELSVS a), Graecorum denominationem retinuit: alii vero abjecto graeco Erysipelatis vocabulo *Ignem sacrum*, alii simpliciter *ignem* b) vocabant. A SENNERTO c) *Rosa* vocatur, eum tamen fere nemo secutus est, sed recentiorum plerique eadem qua Graeci denominatione vtuntur.

IV.

Ipsa jam febris erysipelatosa hunc fere decursum habere solet: Inuadit cum horrore vel rigore, quem excipit febrilis aestus, cum pulsu frequente, simulque persaepe capitis percipitur grauitas ac dolor: Sitis et inquietudo vexant. Lingua initio morbi sicca est et alba, saepissime quoque ex flauo rubra, ita quidem, vt in papillarum interstitiis passim inhaereat mucus flauus, ipsae autem papillae pariter ac reliqua purior linguae pars solito plus rubeant; dein autem post unum alterumue diem lingua

a) *de Medicina. Lib. V. cap. 26.*
b) Q. SERENVS SAMMONICVS *Lib. de medicina. cap. 40.*
c) *de febr. Lib. II. cap. 16.*

gua majori ſenſim copia muci flaui obducta reperitur. Accedit non raro ciborum faſtidium, ſapor amarus, nauſea, conatus vomendi, aliquando etiam vomitus. Peruigilia quoque, deliria, ſopores nonnunquam hanc febrem comitantur, eamque grauiorem reddunt. Interea vel ſimul cum febre, niſi eryſipelas ante febris initium jam adſit, id quod quidem rarius accidit, vel poſt aliquot horas a febris initio, nonnunquam etiam poſt vnum demum alterumue diem rubor in aliqua cutis parte oritur, cum tumore ſuperficiario, lato, et tam exiguo, vt vix ſub adſpectum cadat, niſi auctam totius membri aut partis cujusdam, vt brachii, femoris, capitis magnitudinem conſideres; attamen vbi facies hoc morbo infeſtatur, tumor ſatis magnus genarum, labiorum, naſi, palpebrarum, vt aegri oculos aperire vix et quandoque plane non poſſint, ſuccedere ſolet. Color grate ruber, roſeus vel ſubflauus eſt, et ſi digitum parti affectae impreſſeris, ſanguis plerumque ſubterfugit, ſtatimque redit, cum digitus amouetur. Pruritus ſaepiſſime et variae vehementiae ardor adeſt. Nullam non corporis partem externam, at prae reliquis faciem frequentius et grauius infeſtare poteſt. Quandoque, ſi vehementius eſt malum, puſtulae efflorеſcunt, quae tenui lympha, eademque aliquando limpida, nonnunquam ſubflaua turgent, ſenſimque dirumpuntur, emiſſoque et inſpiſſato humore contento in cruſtas abeunt. Non eadem in corporis parte hoc vitium

ſemper perſeuerat, ſed quandoque ex loco in locum ſerpendo migrat, remittente plerumque vel deſinente morbi vehementia ea in parte, quam prius occupauerat. Fit etiam quandoque, licet rarius, quod omnem totius corporis ſuperficiem ſenſim peragrando, a capite ad ultimos digitorum in manibus pedibusque apices ſerpat. Tale eryſipelas, quod intra tres ſeptimanas hac ratione per totam corporis ſuperficiem migrauit, obſeruatum eſt a cel. DE LA MOTTE *a*), et BVRGIVS *b*) in tenello infante duarum ſeptimanarum ſimile eryſipelas vidit, quod eodem temporis ſpatio iter ſuum perfecit. Alias vero ſuam ἀκμὴν breui aſſequitur hic morbus, cujus decurſus eo vsque intra ſeptem circiter dies continetur, vltra quos color pallidior fit, tumor ſubſidet, cutis flacceſcit, epidermis in ſquamas fatiſcens ſecedit. Rarius ac phlegmone in ſuppurationem abit, vbi tamen hoc fiat, vlcera plerumque mali moris inde enaſcuntur. Aliquando ſcirrhus naſcitur, ſi nempe malum ſedem habeat in partibus glanduloſis, et frigida, adſtringentia vel ſpirituoſa applicata fuerint, vel etiam ſi vires debiles ſint, et pituita in corpore abundet. Perraro gangraena accedit, niſi medentes male ſeduli ſiniſtrum curationis modum adhibeant, et intempeſtiue topicis inprimis oleoſis vtantur, vel praua ſit humorum aegri indoles, aut vires neruoſae a ſenio vel aliun-

a) *Traité complet de chirurgie. T. I. obſ. 92.*
b) *E. N. C. Dec. II. Ann. III. obſ. 171.*

aliunde valde infirmae ſint: Quandoque tamen teſte ill. TISSOT c) ob conſtitutionem epidemicam facile gangraeneſcunt eryſipelata, et cl. VAN DEN BOSCH d) eryſipelas epidemicum, quod malleolum occupauit, plerumque gangraena comitatum animaduertit. Ipſa autem febris diarrhoeis, vrinis et ſudoribus, judicatur; quandoque etiam haemorrhagiis ſatis copioſis e), quod tamen rarum eſſe videtur, ſolvitur.

§. V.

Eryſipelatis ſigna alia praecurrentia ſunt, alia concomitantia. Quomodo imminens faciei Eryſipelas cognoſcere poſſimus, jam docuit HIPPOCRATES, dicens: *Rubores circa aurem ex praegreſſo dolore in febribus oborientes ſignum quidem ſunt Eryſipelatis in facie futuri a)*. Pari modo eryſipelas aliarum partium paulo grauius etiam in aliis corporis locis praeſentitur; ſic graui eryſipelate pedum affecti quandoque prius tumorem, ruborem ac dolorem perceperunt in inguinum glandulis b), et nonnunquam a loco illo dolente vel tumente macula quaedam rubra ad crura vsque extenſa conſpicitur c). Praeſentis morbi ſigna, quibus ab aliis morbis differt,

 ex

c) *Avis au peuple* §. 279.
d) *Hiſt. conſtit. epid. verminoſae. Lugd. Bat.* 1769. *pag.* 188.
e) *Ill.* ZIMMERMANN *von der Erfahr. I. Th. p.* 426.
a) *Coac.* 200.
b) HOFFMANN *Med. Rat. ſyſt. cap. de eryſip.* §. 2.
c) SENNERT *de febr. Lib. II. cap.* 16.

ex antea propoſitis jam ſatis elucere exiſtimo; notandum tamen videtur, eryſipelas quandoque ratione habitus externi ad phlegmonem propius accedere, praecipue quod faciem occupat, vbi magis tumere ſolet, ac aliis in corporis partibus: interdum tamen et in artubus majus volumen ſenſim concipit, ſed etiam tunc mollities tumoris, et latitudo, et aequabilis expanſio cutis, minorque vel nullus dolor, praeſertim pulſatorius, dignoſcendo eryſipelati plerumque ſatis commode inſeruiunt. Memoratu digna videntur, quae GALENVS ad eryſipelas a phlegmone diſtinguendum propoſuit: *Communia amborum ſunt*, inquit, *tum tumor, qui praeter naturam ſit, tum vero calor. Diſſident inter ſe primum et maxime colore; quando ſi is ruber ſit, phlegmonem vitium appellant, ſin pallidus flauusque, vel ex pallido flauoque colore miſtus, eryſipelas. Praeterea pulſatio magnae phlegmones proprium eſt ſymptoma, quippe quae alte magis in corpus demittitur: eryſipelas vero in cute potius conſiſtit quam alte deſcendit d).* Differt ab oedemate, quod fouea, a digito impreſſa, remoto digito non perſeueret; quod color eryſipelatis ruber ſit, non vero pallidus aut naturalis; quod eryſipelas denique dolorem quodammodo prurientem ac ardentem inferat, cum in oedemate ſenſus frigoris potius, et naturali torpidior eſſe ſoleat. Cum nullo alio morbo eryſipelas facilius confunditur quam cum febre ſcarlatina, hinc factum eſt, quod hi

d) *Meth. medendi Lib. XIV. cap. 1.*

hi morbi a quibusdam pro uno eodemque habiti ſint, quum tamen ſatis inter ſe differant; Scarlatina enim maculis per faciem et corpus diſperſis incipit, iisdemque confluentibus; partes rubentes minorem caloris ſenſum conjunctum habent, nihilque fere tumoris etiam ipſa in facie a ſcarlatina oriri ſolet; dein etiam in hac epidermis peculiari modo, in fruſtis nempe majoribus a partibus extremis, manibus nempe ac pedibus ſecedit, et febris haecce integras familias, et praeſertim infantes, eryſipelati ceteroquin minus obnoxios aggredi, et fere ſemper epidemice graſſari ſolet, nec contagii expers eſſe videtur: quibus accedit, quod ſcarlatinus rubor nunquam in ſuppurationem abeat, et plerumque, vbi vera et ſimplex fuerit ſcarlatina, vix vllus pruritus ſentiatur. Altera quoque eryſipelatis ſpecies a SYDENHAMO *e*) memorata, hujus non eſt loci, ſed ad febrem vrticatam referenda: patet hoc tum ex facie externa illorum exanthematum; tum quod per vniuerſum fere corpus erumperunt, id quod in eryſipelate vix vnquam obſeruatur; denique quod illae puſtulae mox ſub cute ſe occultarunt cum intolerabili pruritu, et a leuiſſima ſcalptura iterum apparuerunt.

§. VI.

His de natura, decurſu, ſignisque morbi praemonitis, variae jam ejus ſpecies et differentiae pro-

e) *Opera vniuerſa. Lugd. Bat.* 1726. *pag.* 279.

be a ſe inuicem diſtinguendae erunt. Siue enim partem affectam, ſiue febrem cum eryſipelate conjunctam, ſiue habitum externum ſpectes, multiplicis generis diſcrimina inuenies. Partis affectae ſi habueris rationem, eryſipelas modo faciem, modo collum, modo pectus, et nullam non corporis partem externam infeſtare obſeruabis: rariſſime autem totam corporis ſuperficiem ſimul inuadit, qualis obſeruatio legitur apud DE LA MOTTE *a*). Minime quoque concedendum, quod cel. DE SAVVAGES *b*) tradidit, apud Germanos inguina, alas, femora, fere ſola eryſipelate corripi, cum apud Anglos et Gallos ſaepius facies eodem occupari ſoleat. Satis frequens enim obſeruatio etiam apud Germanos docet, eos non minus faciei eryſipelati ac aliarum partium obnoxios eſſe. De eryſipelate faciei adhuc praeter ſuperius memorata notamus, quod non ſola in facie externa ſedem figat, ſed et ſaepius partes internas narium et oris, fauces, oeſophagum, aſperam arteriam quoque afficiat, quin et nonnunquam ad ipſos pulmones extendatur; hinc deglutitio laeſa, vox rauca, reſpirationis difficultas, ſuffocationis metus et reliqua anginae et peripneumoniae ſymptomata ad eryſipelas faciei non raro accedunt. Mammas ſi eryſipelas adoritur, illae intumeſcunt, et quandoque lapidis inſtar indureſcunt cum exquiſito ardore ac dolore *c*).

Cum

a) *Lib. cit. obſ.* 98.
b) *Noſol. method.* Edit. in 4to. T. I. p. 449.
c) HOFFMANN *l. c.* §. 5.

Cum perſaepè febris cum hoc morbo conjuncta ſit, aliquando autem nulla febris adſit, bene etiam eryſipelas in febrile et non febrile diſtinguunt *d*). Rarius quidem eryſipelas absque omni febre obſeruatur, tuncque morbus in homine quoad reliqua ſano plerumque admodum leuis eſt, et talis macula, quae in ſuperficie cutis absque praeuia aut praeſente notabili moleſtia apparet, vix morbi nomen meretur, ſiquidem et dolor in hoc aut nullus eſt aut modicus. Hanc eryſipelatis ſpeciem jam deſcripſit GALENVS ſequentibus verbis; *Non dolet vt inflammatio, neque vt aliqua inflammationis ſpecies pulſum, aut compreſſionem, aut tenſionem invehit ſimilem, ſed quandoque valde parum infeſtat,*

M 5 ac-

d) Cel. DE SAVVAGES diſtinguit quoque eryſipelas febrile a non febrili, ita tamen, vt iſtud alio prorſus nomine deſignet, et ad aliam morborum claſſem referat. „In eryſipelate, „inquit, eſt febris, aegritudo grauis, ſeu morbus; Erythema „eſt ſine febris grauiumque ſymptomatum ſatellitio. „ *Noſol. method.* T. I. p. 137. Eum autem morbum, quem erythema vocat, nihil aliud eſſe quam eryſipelas, patet ex ejus definitione, quam mox ſubjungit. „*Erythema* eſt tumor ſuperficiarius, ſolitarius, diffuſus, rubro-roſeus, preſſione „euaneſcens, glabritie vniformi praeditus, niſi phlyctaenis „exaſperetur, et calore acri, vrente, vel pruriginoſo ſtipatus, qui non ad ſuppurationem, ſed ad cuticulae ſeparationem ſponte vergit. „ Sed nonne haec omnia ad eryſipelas ſecundum uſitatiſſimam hujus vocis ideam quadrant? Cum itaque eryſipelas eandem faciem externam, decurſum eundem habeat, et ſimilem exitum ſortiatur, ſiue febris adſit, ſiue non; optimum videtur, binos hos morbos adeo ſibi ſimiles eodem nomine deſignare: prout videmus, petechias quoque, quae aliquando, licet rariſſime, absque febre in cute efflorescunt, nullo alio nomine diſtingui.

ac tum praesertim, quando per solam cutim diffusum fuerit, nihil inferiorem carnem molestans e). Plerumque autem erysipelas febrem comitem habet, in quacunque etiam corporis parte existat, sed tunc inprimis, si faciem occupat. Ipsa febris alias plus minusue inflammatoriae, alias et plerumque biliosae, alias putridae indolis, vel etiam vario modo complicata esse potest. Febrem mere inflammatoriam rarius, si unquam, cum erysipelate conjunctam esse, saepissime autem signa colluuiei vitiosae praesertim biliosae ad primas vias apparere, ex obseruationibus infra adducendis patebit.

Ad habitum externum quod attinet, aliud erysipelas est simplex, aliud pustulosum. In omni autem erysipelate paulo grauiore, praesertim faciei, phlyctaenae frequentius efflorescunt paruae et rotundae, quae lympha tenui, pellucida, aut subflaua, plus minus acri turgent, et plerumque facile exsiccantur, cuticula in squamulis secedente: non raro autem liquorem admodum viscosum continent, qui in crustas mutatur, crustam lacteam tenellorum aemulantes, post plures demum dies perfecta exsiccatione sponte etiam deciduas *f*). Quandoque et pustulae majores fiunt, et irregulares, iis similes, quae oriuntur ex ambustione *g*).

Ad

e) *De arte curat. ad Glauc. L. II. cap.* 1.

f) TISSOT *avis au peuple* §. 274.

g) MONRO *account of military Diseases. p.* 245. DE LA MOTTE *lib. cit. obs.* 36.

Ad eryſipelas puſtuloſum plerique referunt Ignem ſacrum, et ignem S. Antonii, quamuis de his vocibus mire inter ſe diſſentiant Auctores. Antiquos Latinos praeter CELSVM quoduis eryſipelas Ignem ſacrum appellaſſe ſupra jam indicauimus. Multi recentiorum, vt LOMMIVS *h*), PLATERVS, *i*), aliique per has voces nihil aliud intelligunt quam eryſipelas exulceratum: alii, CELSVM *k*) ſecuti, herpetem eſthiomenon: plurimi vero eryſipelas puſtuloſum. Sunt quoque, qui eryſipelas minori ſpatio circumſcriptum magisque dolens, in gangraenam ſubinde inſtar anthracis tranſiens, et grauiori cum febre, aegrique majori periculo conjunctum vocibus illis denotare ſolent *l*). Ignis ſacri ſiue eryſipelatis puſtuloſi ſpecies eſſe videtur Zona vel Zoſter. Hoc nomine venit macula rubra vel ſubliuida, ſpithamam ad minimum longa, palmam plerumque lata, aliquando tamen ab vmbilico ad genua vsque extenſa, in qua puſtulae vel veſiculae, modo flaui, modo rubri, interdum quoque liuidi coloris, humore aut ichore acri et admodum pruriente turgentes, efflorefcere ſolent. Vtplurimum zona febrem comitem habet vt eryſipelas, eamque quandoque grauibus ſymptomatibus ſtipatam. Infeſtat autem hoc malum praeſertim truncum corporis,

h) *Obſeruat. medic. L. II. p.* 299.

i) *Prax. med. T. II. p.* 644.

k) *Lib. V. cap.* 28.

l) SYDENHAM *opp. vniu. p.* 111. 112. TISSOT *lib. cit.* §. 231.

ris, et modo in pectore apparet, modo in dorso, modo in lateribus, saepissime autem in abdomine, vbi nonnunquam medium hominem cinguli instar ambit. Zonam, quae rarissimo exemplo totum caput serti instar cingebat, obseruauit Io. BVRGIVS *m*). Singularem Zonae speciem descripsit ill. DE HAEN *n*), qui apud Batauos saepe in alterutro tantum abdominis latere praegressa febre primo maculas rubras, dein modo plures modo pauciores racematim cohaerentium pustularum insulas obseruauit, ita quidem, vt ab anteriore parte nunquam lineam albam, nunquam a postica spinam transcendant.

Est etiam erysipelas aliquando complicatum vel cum phlegmone, vel cum oedemate, vel etiam tumor solito durior est, nec digito prementi cedit; hinc orta est differentia erysipelatis phlegmonodis, oedematosi, scirrhosi, quam apud GALENVM *o*), et alios, qui eum secuti sunt, reperias; qui erysipelas legitimum siue exquisitum vocant, quod fit a pura bile; spurium autem, quod fit a bile cum aliis humoribus permixta; et illud quidem, quod fit a bile cum sanguine mixta, quodque magis rubet et splendet, erysipelas phlegmonodes; quod a bile cum pituita permixta, erysipelas oedematosum; quod a bile cum humore melancholico permixta, erysipelas scirrhosum vocabant. HOFFMANNO *p*) illud

m) *E. N. C. Dec. II. Ann. III. obs.* 171.
n) *Theses de diuis. febr. p.* 111. *sqq.*
o) *Method. med. Lib.* XIV. *cap.* 3.
p) *l. c.* §. 4.

illud eryſipelas ſpurium dicitur, quod non tantum in ſuperficie cutis haeret, ſed altius radices agit, difficile eſt curatu, et facile abit in vlcera mali moris; hae autem eryſipelatis conditiones, quum ab aliis gradu tantum diſcrepent, peculiare nomen haud mereri videntur.

Ad varios alios morbos, praeſertim chronicos, ſymptomatice interdum accedit febris eryſipelatoſa, et quidem praecipue ad hydropem anaſarca, aſcitem, icterum flauum et nigrum; tum ad vulnera partium neruoſarum, praeſertim ad vulnera cranii et laeſiones meningum, item ad fracturas oſſium *q*); porro variis abſceſſibus complicatur; ſic HOME *r*) ad abſceſſum in hepate, et DE LA MOTTE *s*) ad abſceſſum in parte ſuperiore et interna cruris dextri ſymptomatice eryſipelas acceſſiſſe obſeruarunt.

Paſſim quoque, praeſertim apud antiquiores, mentio fit eryſipelatis, quod internas corporis partes corripiat, vt cerebrum *t*), pulmones *v*), ventriculum *x*), inteſtina *y*), hepar *z*), vterum *a*), veſicam; nec dubitare licet, ſuperficiem viſcerum quan-

q) HOFFMANN *l. c.*
r) *Medical Facts and Experiments. P.* II. *Sect.* VII.
s) *lib. cit. obſ.* 97.
t) AETIVS *Tetrabibl.* II. *Serm.* 2. *cap.* 26.
v) HIPPOCRATES *de Morb. Lib.* I. *cap.* 13. *Lib.* II. *cap.* 53. LOMMIVS *obſeru. medic. L.* II. *p.* 131.
x) AETIVS *Tetrab.* II. *ſerm.* 1. *cap.* 89. BAGLIV *Opera Lugd.* 1745. *pag.* 56. DE SAVVAGES *Noſol. method. T.* I. *p.* 477.
y) BAGLIV *l. c. p.* 55.
z) BIANCHI *hiſt. hep. p.* 422. *ſeqq.*
a) HIPPOCRATES *de Morb. L.* I. *cap.* 3. GALENVS *Finit. med.*

quandoque ſimili morbo affici poſſe. Sed cum nulla certiora ſigna habeamus, ex quibus tale eryſipelas cognoſcere poſſumus, plerique recentiorum eryſipelas pulmonis a peripneumonia non diſtinguunt; itemque eryſipelas ventriculi, inteſtinorum, hepatis, vteri, veſicae, ad inflammationes harum partium referunt.

Sunt quoque, qui eryſipelati valde obnoxii ſaepius hoc morbo tentantur, et tale eryſipelas, quod ſaepe reuertitur, eandem partem fere ſemper occupare, et quandoque ſuas certas periodos ſeruare obſeruatum eſt: ſic apud Hoffmannvm *b*) exemplum legitur de virgine ſedecim annorum, quae a quatuor jam annis ſingulo fere trimeſtri eryſipelate faciei, praeſertim ſiniſtram maxillam occupante affligi ſueuit: ſingulare exemplum narrat cl. Medicvs *c*) de foemina, quae ſemper proxime ante partum eryſipelate brachii dextri corripiebatur; Heistervs *d*) quoque in foemina eryſipelas faciei obſeruauit, quod ſemper illo tempore, quo menſes fluere debuiſſent, redibat, et per quatuor annos hanc periodum ſeruabat: foeminamque nouit Gmelin *e*), in cujus dextra faciei parte quauis ſexta hebdomade eryſipelas apparuit; et Hoffmannvs *f*) anniuerſaria, aequi-

b) *Conſultat. med. P.* II. *p.* 452.

c) *Geſchichte periodiſcher Krankheiten. p.* 189.

d) *Medic. und chirurg. Wahrnehm.* 1. *B. obſ.* 414.

e) *Commerc. Nor. A.* 1737. *pag.* 60.

f) *Med. Rat. Syſt. T.* IV. *P.* I. *S.* I. *cap.* 13. §. 8.

aequinoctialia, quin ſingulis menſibus redeuntia eryſipelata ſe obſeruaſſe refert.

§. VII.

Ad cauſas, quae febrem eryſipelatoſam producere valent, exponendas nunc progreſſurus, ex proximis et in curatione maxime attendendis, illius, quae omnium frequentiſſime occurrit, primo loco faciendam eſſe mentionem, exiſtimo. Animaduertimus autem in plerisque, qui hoc morbo laborant, vbi modo affectiones illorum accurate explorauerimus, nunc ab initio, nunc vero poſt vnum alterumue demum, aut aliquot dies, ſatis manifeſta colluuiei vitioſae praeſertim bilioſae primarum viarum indicia; et vbi aduerſus illas praecipue curationem tunc dirigamus, atque ſatis caute juſtis temporibus primas vias euacuare inſtituamus, ita exoptatum hujus methodi euentum obſeruamus, vt cauſam mali nos eduxiſſe dubitari plane non liceat. Quae enim in his aegris nunc majori nunc minori gradu plerumque obſeruantur ſymptomata, inappetentia, ſitis, ſapor amarus, flauus linguae inhaerens mucus, praecordiorum oppreſſiones, cephalalgia, vertigo, nauſea, conatus vomendi, ipſique vomitus et quidem bilioſi, neque raro meracae bilis flauae aut viridis, ſimilesque diarrhoeae, bilioſam ad primas vias colluuiem ſatis arguunt. Hinc non mirum, complures medicos inde a Galeni aeuo ad noſtra vsque tempora bilem largius ſecretam, et ad primas

mas vias delatam, quacunque ratione ſuam poteſtatem exſerat, pro frequentiſſimo febrium eryſipelatoſarum fomite agnouiſſe. Hac quidem ratione optime forſan explicari poterit HIPPOCRATIS *a*) dictum, quo *aluum perturbatam rubores etiam faciei ſoluere* affirmauit. Inde quoque manifeſtius conſtare videtur, quare ſecundum ipſius doctrinam bilioſis, praeſertim in febribus ardentibus, praeſentibusque capitis dolore, ſopore, ſurditate, in continente corporis jactatione et praecordiorum contentione abſceſſus ad aures facilius oriantur *b*). Ipſe tamen GALENVS primus diſerte et generaliter eryſipelas ex ſucco bilioſo naſci, et medicamenta, quae bilem educerent, ad curationem maxime eſſe proficua docuit *c*); et ejusmodi quidem eryſipelas exactum vocauit, quod oriretur, quum a ſola bilioſa fluxione pars impleta fuerit *d*). Hancce GALENI ſententiam ſuam fecit BALLONIVS *e*), qui, *facile*, inquit, *humor bilioſus eryſipelata et herpetes in cute concitat. Eryſipelas vlceratum*, ſunt verba HOLLERII *f*), *fit a ſanguine bilioſo acriore, quod non eſt vlceratum, a mitiore et clementiore.* Ipſe quoque FR. HOFFMANNVS paſſim

a) *Coac.* 616.

b) *Praedict.* I. 162. 169. *Coac.* 207. 290.

c) *Meth. med. L.* XIV. *cap.* 1. *et* 2.

d) *De ſimpl. medicament. facult. L.* VII.

e) *Opera edit.* TRONCHIN. *T.* IV. *p.* 209. Eidem ſententiae adſtipulatur quoque FORESTVS *L.* V. *obſ.* XXII. *ſchol.*

f) *Commentar. in* HIPPOCRATIS *Aphor. Sect. V. aph.* 23.

paſſim *g*) expreſſis verbis bilem vitiatam et corruptam in praecordiis diutius ſtagnantem eryſipelatum cauſam eſſe docuit, praeſertim ſi aluus cohibita, et tranſpiratio impedita fuerit. Cl. LIEVTAVD *h*) obſeruationem habet de iuuene, qui de doloribus vniuerſalibus praeſertim artuum, de oris amarore et nauſea querebatur. Febre vehemente erumpit phlogoſis eryſipelacea totum brachium ferme occupans. Brachium laeſum gangraena corripitur, et paulo poſt obiit aeger. In cadauere poſt mortem diſſecto magna bilis porraceae copia in ventriculo ac duodeno reperiebatur. Denique, vt multos alios taceam, ill. etiam TISSOT ſtagnantem et corruptam bilem principem plerumque cauſam eryſipelatis vehementioris eſſe *i*), et morbi hujus fomitem ſedem habere circa veſiculam fellis *k*) docet. Sed vlterius etiam haecce quam maxime confirmantur toties obſeruata inſigni purgantium ad eryſipelas mitigandum ac tollendum vtilitate. Ita enim GALENVS *l*) nullum efficacius remedium aduerſus hunc morbum eſſe dixit, quam quod bilem et pituitam expurget, et diem ſe conterere addit, ſi admirandos purgantium

tium

g) *Diſſ. de bile medicina et veneno corporis* §. 31. *Med. Rat. Syſt. cap. cit.* §. 7. *Diſſ. de duodeno multor. malor. cauſa.* §. 25.

h) *Hiſtor. anatom. med. ſiſtens numeroſiſſ. cadau. extiſpicia, Paris.* 1768. *L. I. obſ.* 34. *a.*

i) *Avis au peuple.* §. 280.

k) *Diſſ. de febr. bil. Lauſ. Opuſc. T. I. p.* 125.

l) *Meth. med. L. XIV. cap.* 3. *De purgant. facult. cap.* 5.

tium in hoc malo effectus recenseret. Erysipelate faciei laborantes breui curatos vidit BAGLIV *m*) post exhibitum purgans remedium; et saepenumero in praxi comperit BIANCHI *n*), tum externa tum interna erysipelata per cholagogam inter ipsa initia susceptam purgationem, vel vehementissimis vigentibus symptomatibus et febre, cito fuisse expugnata; cel. quoque FREIND *o*) docet, nullum remedium potentius praecauere, ne erysipelas ita longe serpat, quam purgatio temporius adhibita, et multiplici experientia edoctus pronunciat, in capitis erysipelate, si quando cerebro tentato oboriatur coma, delirium, neruorum distentio, aut nullam esse salutis spem, aut purgantia maxime profectura; neque in his rerum angustiis exspectandum esse, dum vel febris lenita sit, vel tumor plane subsederit; refrigerantibus vero remediis contra febrem pugnare, topica admouere, nil aliud esse, quam nugas agere, donec in medio curationis cursu aeger moriatur. Epidemico erysipelate affectorum historias tradit RICHA *p*), in quibus omnibus colluuiei biliosae indicia adfuerunt, lumborum nempe et praecordiorum dolor, capitis grauitas et dolor, aurigo, conturbata ab initio ad finem morbi cum magno leuamine biliosa aluus. Pariterque in febre illa erysipelatosa epidemica,

m) *Prax. med. L. I. cap.* 13. §. 6.

n) *Hist. hep. P. III. p.* 432.

o) *Comment.* VII. *in Libr. epid.* HIPPOCR. *Opp. edit. in fol. p.* 285.

p) *Constit. epid. Taurin. in* SYDENH. *Opp. edit. Genev. T.* II. *p.* 419. *sqq.*

mica, a cl. DARLVC q) deſcripta, in qua dejectiones bilioſae virideſcentes, aſcaridibus refertae, deliria, tendinum ſubſultus, vrina turbida et craſſa obſeruata ſunt, nihil profuit praeter emetica et purgantia, ſtatim ab initio adhibita; et illae Edinburgi graſſantes facillime lenioribus purgantibus cedebant *). Tres eryſipelatis caſus in febre epidemica Lauſannenſi obſeruauit ill. TISSOT r); nihil profuit, niſi alui ductio repetita, et acida medela: et tandem cel. MEAD s) et BROCKLESBY t) docent, nullum alium morbum acutum facilius iteratam purgationem ferre, quam eryſipelas, praeſertim vbi cum tumore inflammatorio caput obſidet. Annon ex his principum medicorum obſeruationibus luce meridiana clarius patet, ſaepiſſime, ſi non ſemper, colluuiem vitioſam, praeſertim bilioſam, praecipuam febrium eryſipelatoſarum cauſam eſſe? Maxime illuſtrari quoque videtur haec eryſipelatis origo per id, quod hanc ipſam cauſam quandoque et alia exanthemata febrilia producere compertum ſit. Ipſe jam HIPPOCRATES v), *vbi tubercula in cute oriuntur, excretiones inſpiciendas eſſe, ſiquidem, vbi bilioſae fuerint, corpus vna aegrotaret*, notauit. Quod etiam

q) *Recueil periodique.* T. VII. p. 55. ſqq.

*) *Medical Eſſais and Obſervations. Vol.* I. p. 37. 38.

r) *Diſſ. de febr. bil. Lauſ. Opuſc.* T. I. p. 126.

s) *Monita et praecepta medica. edit. Goetting.* p. 17.

t) „No acute fever vvhatever, bears artificial purging ſo early, „vvithout diſturbance, as the Eryſipelas.„ *Oeconom. and med. Obſerv. Lond.* 1764. p. 143.

v) *Aphor.* II. 15.

alibi docuit: *Fastidientibus commotae alui suppressio celeriter efflorescere facit velut culicum puncturas, et in oculos velut lacrymosus deuenit abscessus x*), id ipsum satis euidenter confirmat. Hunc exanthematum fontem memorat quoque perill. VAN SWIETEN *y*) qui, *docent obseruata*, inquit, *quandoque illud quod pruritus et exanthemata facit, haerere in ventriculo et circa praecordia; atque hoc excusso, statim ista euanescere.* Talis obseruatio de febre vrticata ex sordibus primarum viarum orta exstat in Diario medicinae gallico *z*); aegri nec venaesectione, nec aliis remediis adhibitis leuari poterant, excusso autem per vomitoria morbi fomite, statim insigni cum emolumento euanuere exanthemata. Sed exanthemata quoque miliaria eandem quandoque causam agnoscunt, vt patet ex obseruationibus ill. ZIMMERMANNI *aa*), qui ob neglectam in prima dysenteriae periodo alui purgationem non raro purpuram symptomaticam periculosissimam oriri, eamque nonnunquam orta diarrhoea spontanea, aut exhibitis medicamentis euacuantibus, rursus euanescere vidit. Cl. MOLINARIVS *bb*) existentibus in cute cujuscunque generis exanthematibus, vbi perniciosa praecipue symptomata aegrum prosternunt, purgationem instituere suadet, vt expulsa putrilagine, quae humores etiam reli-

x) *Coac.* 564.

y) *Commentar. in* BOERH. *Aphor. T.* II. *p.* 398.

z) *Recueil periodique, T. X.*

aa) *Von der Ruhr unter dem Volk. p.* 25. 26. *et* 63.

bb) *Disquisitio de miliarium exanthematum indole et tractatione. p.* 99.

reliquos, eo magis, quo diutius ſtagnet, corrumperet, febri, miliaribusque inde ortis fomes ſubtrahatur: etiam HOFFMANNVS cc) curationem horum exanthematum quandoque emeticis aut purgantibus lenioribus auſpicandam eſſe docuit.

§. VIII.

Quum vero haec cauſa efficiens plerumque ab aliis remotioribus originem ſuam repetat, eaedem quoque jam ordine recenſendae ſunt. In eryſipelate nempe producendo prae reliquis multum valent animi pathemata, quae, vti, experientia teſte, maximam in corpore humano mutationem, et morbos plurimos maxime diuerſos tam ſubitaneos quam lentos inducere poſſunt, ita quoque non raro febrem eryſipelatoſam generant; et inprimis quidem huic morbo anſam ſaepe praebent vehementior ira ac terror. Grauiores autem iſtae animi paſſiones ſecretionem bilis ejusque craſin perturbando aptam ad colluuiem bilioſam producendam occaſionem ſubminiſtrant: hinc adeo frequenter omnis generis febres bilioſas, adeoque et eryſipelatoſam oriri poſt vehementiora animi pathemata, per plurimas obſeruationes conſtat, e quarum numero paucas tantum afferam. Sic ex terrore hunc morbum ortum vidit HOFFMANNVS a); idemque docet, eryſipelas in mammis ſolemne eſſe puerperis, praeſertim lactantibus

cc) *Diſſ. de duodeno multor. malor. ſede.* §. 22.
a) *Med. Rat. Syſt. T.* IV. *P.* I. *S.* I. *cap.* 13. *obſ.* 1.

bus poft grauem terrorem, easque tunc inprimis hoc morbo affici, fi primas vias a fordibus grauiditatis tempore contractis non expurgarint *b*). Notatu dignum eft, quod refert FALLOPIVS *c*) de nobili quadam muliere, cujus nafum, quotiescunque ira excanduit, eryfipelas deturpauit. Simile fere exemplum narrat SCHREY *d*), de foemina, quae poft quamcunque animi alterationem fugillatione labii inferioris ac menti purpurei coloris afficiebatur. Medici Vratislauienfes quoque in febre eryfipelatofa epidemica terrores, aliaque animi pathemata in multis ifti affectui anfam praebuiffe obferuarunt *e*).

§. IX.

Inter has caufas occafionales in cenfum quoque veniunt errores diaetae; faepius enim cibos nimis calefacientes, victumque duriorem aut infalubrem, praecipue quaedam pifcium genera, mytulos, carnes fumo induratas, cibos rancidos vel aromatibus plus jufto conditos, vt et cibos alios, non quidem infalubres, fed majori, quam par erat, copia ingurgitatos, hunc morbum in difpofitis produxiffe obferuatum eft: hinc iis, qui victu duro craffoque vtuntur, admodum familiares effe inflammationes, maximeque eryfipelas fcorbuticum afferit

b) *l. c.* §. 9. *et cap.* 9. *obf.* 5.

c) *Tractat. de tumor. praeternat. cap.* 28.

d) *A. N. C. Vol. II. obf.* 88.

e) *Hiftor. morbor. Vratislav. edit.* HALLERI *p.* 160.

rit HOFFMANNVS *a*). Virum nouit HANNEMANNVS *b*), qui, quotiescunque carne anſerina veſceretur, eryſipelate faciei exulcerato afficiebatur: et GRASSIVS *c*) poſt eſum cyprini neque ſatis ſaliti neque elixati ſequenti die eryſipelas in pede ſiniſtro expertus eſt: ſaepius etiam a variis aliis piſcibus eryſipelas ortum fuiſſe vidit cel. DE SAVVAGES; et obſeruationem memoratu dignam narrat de viro, qui cum vxore duobusque natis hepar catuli marini manducauit; ſtatim a paſtu decumbebant per biduum triduumue, ſomno et delirio detenti, ſimulque eryſipelate vniuerſali, citra calorem tamen, ſed cum acri pruritu corripiebantur; ſurgentibus cuticula totius corporis ſenſim a cute ſeceſſit *d*).

§. X.

Sed aliae adhuc dantur cauſae, quae etiam ea praecipue, vti videtur, ratione frequentem eryſipelati occaſionem praebent, quod depurationes humorum impediant, viſcerum hypochondriacorum functiones perturbent, colluuiei inteſtinalis generationi faueant. Hinc eſt quod perſpiratio ſuppreſſa frequens eryſipelatis ſit occaſio, nam praeterquam quod illis temporibus, quibus haec occaſio frequentiſſime occurrit, autumnali praeſertim tempore, corpora ad bilioſos morbos praeci-

 pue

a) *Lib. cit. cap. de eryſip. obſ.* 5.
b) *E. N. C. Dec. II. Ann. IV. obſ.* 52.
c) *E. N. C. Dec. I. Ann. IX. X. obſ.* 70.
d) *Noſol. method. T. I. p.* 451.

pue ſint diſpoſita, ipſa perſpiratio ſuppreſſa in diſpoſitis facile eryſipelata excitare poterit, dum ſtrictura cutis ſtaſes in vaſis cutaneis producit, et ob retentum acre ſecundum conſenſus leges ad inteſtina delatum ſordes creat, quae pro varia corporum conſtitutione in aliis dolores colicos, diarrhoeas, dyſenterias, choleras excitant, in aliis autem, vbi acriores fuerint, et diutius retineantur, congeſtiones ſpaſticas variarum partium, inflammationes, eryſipelata generant. Non diſſimili ratione vermes inteſtinales eryſipelati interdum anſam praebent; raro enim vermes alia ac eorum corpora infeſtant, quibus labefactata eſt digeſtio, et quorum inteſtina pituitoſa colluuie ſcatent, quin ipſorum vermium ouula, excrementa, cadauera, colluuiem iſtam augent, et ipſa infeſta viuentia rependo et vellicando ſtimuli inſtar agunt, et ſpaſmos congeſtionesque producunt. Ex hoc fonte deriuanda eryſipelata ſaepius obſeruauit cl. VAN DEN BOSCH *a*), adverſus quae medicamentis antiphlogiſticis nunquam quidquam profecit, adminiſtratis vero aluum ducentibus, vermium nidum deſtruentibus remediis facillimo negotio morbum tollere potuit. Pari modo etiam fluxus menſtrui et haemorrhoidalis ſuppreſſiones eryſipelatis ortui fauent, non ſolum enim ſtagnatione ſanguinis ſpaſticae congeſtiones ad varias partes oriuntur, ſed ſimul ob plethoram abdominalem gaſtricorum vaſorum ſyſtema languet, ſecre-

a) *Lib. cit. p.* 179. *ſeqq.*

ſecretiones viſcerum perturbantur, et ſenſim ſordes, et viſcerum, hepatis praeſertim, obſtructiones generantur.

§. XI.

Ex iis, quae hactenus dicta ſunt, patet, has cauſas remotiores, animi affectus, errores diaetae, et perſpirationem ſuppreſſam eo fere collineare, vt colluuiem vitioſam in primis viis producant, bilis praeſertim ſecretionem ejusque craſin perturbent, atque hac ratione febri eryſipelatoſae viam aperiant. Variae adhuc ſuperſunt eryſipelatum cauſae, quas ſilentio praeterire non licet: oritur nempe quandoque eryſipelas ſalutare in variis morbis, praeſertim febrilibus, ex metaſtaſi critica materiae morboſae, ad ſuperficiem cutis delatae; vt patet ex aliquot obſeruationibus cel. HILLARY a), qui in febribus catarrhalibus eryſipelata in pedibus effloreſcere vidit cum magno aegrorum leuamine et febris decremento, cum ii contra, quorum in cruribus nullum eryſipelas apparuit, diutius aegrotauerint; quod ipſum quoque alio tempore in variis aegrotis, qui peripneumonia inflammatoria epidemice graſſante laborarunt, obſeruauit; quibus enim eruptio eryſipelatoſa in pectore et variis aliis corporis partibus die morbi quinto aut ſexto apparebat, ii inſigniter leuabantur, reſpiratio liberior

 redde-

a) *Obſervations on the Changes of the Air, and the concomitant epidemical Diſeaſes in the Island of Barbadoes. Lond. 1759. pag. 72.*

reddebatur, omniaque ſymptomata ceſſabant *b*). Etiam ab ill. ZIMMERMANNO *c*) criticum eryſipelas in pedibus, in ſuppurationem tranſiens, interdum obſeruatum eſt, quod aegrotos, dyſenteria epidemica laborantes, cito a morbo et morte liberauit; et cl. RVSSEL *d*) anginam inflammatoriam admodum vehementem eryſipelate faciei ſolutam vidit.

§. XII.

Seriem cauſarum, quae, vt obſeruata docent, in eryſipelate producendo aliquid valent, claudant illae, quae forinſecus corpori noſtro admotae, hunc morbum, aut ſaltem tumorem noſtro non diſſimilem in diſpoſitis generare, vel eidem anſam praebere poſſunt. Huc referimus ambuſtionem, apum veſparumque puncturas, vulnera, fracturas, contuſiones, luxationes, ligaturas, preſſiones a veſtimentis, calceis, ocreis arctioribus. Merito autem dubitamus, an poſteriores hae cauſae ſufficiant ad eryſipelas producendum, niſi ſimul, qui aliquid horum paſſi ſunt, minus purum corpus habuerint, aut vehementioribus animi pathematibus indulſerint. Pinguia quoque et emplaſtra forinſecus applicata in tenerioris texturae corporibus eryſipelas gignere poſſunt, tum tranſpirationem occluſis po-

ris

b) *lib. cit. p.* 112.

c) *lib. cit. p.* 365.

d) *Diſſert. on the uſe of Sea-Water. Lond.* 1769. *Caſe XXIX. p.* 76. *ſeqq.* Aliquot etiam obſeruationes de eryſipelate critico LENTILIVS inſeruit in *E. N. C. Dec. II. Ann. IX. obſ.* 181.

ris cutaneis ſupprimendo, tum, ſicubi acria ſimul fuerint, irritando et humores alliciendo *a*).

§. XIII.

Praeter has cauſas occaſionales enumerandae etiam ſunt praediſponentes, quae corpori antea jam inſitae eryſipelatis generationi fauent, ſicubi cauſa occaſionalis acceſſerit. Diſpoſiti autem videntur ad hunc morbum ſuſcipiendum ii maxime, quibus temperies bilioſa eſt, et quibus data leuiſſima occaſione bilis majori copia in inteſtina effunditur. Bilioſos, ſi pinguedine vel aere externo frigidiore prohibeatur perſpiratio, frequentiſſime eryſipelate tentari docet DE GORTER *a*). Veroſimile quoque eſt, vitia quaedam hepatis ad hunc morbum diſponere poſſe. Idem etiam ſentit ill. TISSOT, qui ea ſaltem eryſipelata, quae ſaepius reuertuntur, vitium quoddam in hepate aut veſicula fellis denotare perhibet *b*). Huic ſententiae robur addere poſſe videntur nonnullae obſeruationes, quae leguntur apud cl. LIEVTAVD *c*) de hominibus eryſipelatibus obnoxiis, in quorum cadaueribus hepar modo durum et ſcirrhoſum, modo exſuccum et liuidum occurrit. Ad cauſas proegumenas porro referimus plethoram, quae facile ad ſtaſes ejusmodi

a) GAVBIVS *inſtitut. pathol.* §. 597.

a) *de perſpiratione inſenſibili. Lugd. Bat.* 1736. *p.* 139.

b) *Avis au peuple.* §. 283.

c) *Hiſtor. anat. med.* L. I. *obſ.* 622. L. III. *obſ.* 16. *conf.* BIANCHI *hiſt. hep. T. I. p.* 435.

di inflammatorias corpus disponit; hinc haemorrhoides suppressae et retentio sanguinis menstrui *d*) nonnunquam huic morbo ansam praebent; haec forsan ratio est, quod sexum sequiorem, et inprimis foeminas grauidas frequentius erysipelate vexari obseruemus; non minus artificiales sanguinis euacuationes vltra consuetum tempus intermissae huc quoque suam symbolam conferre possunt. Videtur tamen haec dispositio plerumque non in plethora vera, vel nimia sanguinis bene elaborati copia, sed potius in deprauata ejus qualitate consistere: hinc forte est, quod cachecticis corporibus, et scorbutica diathesi praeditis erysipelas familiare esse multi doceant. Dicitur etiam peculiaris ad erysipelas procliuitas nonnunquam gentilitia labe a parentibus in sobolem propagari. Alias vero homines potissimum in hoc malum inclinare ab anno aetatis trigesimo ad quadragesimum, quorundam est sententia; cui tamen, cum in junioribus adultis aeque frequens esse videatur, licet in pueris et infantibus omnino rarius occurrat, adstipulari nolimus.

§. XIV.

Quid spei, difficultatis et periculi cum hoc morbo conjunctum sit, jam dispiciendum est: plerumque quidem omnis periculi expers est febris erysipelacea, si corpus ceteroquin sanum, nec vitio cujus-

d) HEISTER *medic. und chirurg. Wahrnehm.* 1. *B*, *obs.* 414.

cujusdam viſceris grauiori affectum adoritur, niſi per repetitos diaetae errores protrahatur et exacerbetur; certe non videtur tam atro carbone notanda eſſe, ac docuit Fr. Hoffmannvs, qui illam ſaepius grauem, et non raro lethalem eſſe, quin multum affinitatis alere cum morbo omnium atrociſſimo, ipſa febre peſtilentiali, affirmauit *e*). Judicium de hoc morbo laturus, ad febris, variorumque, quibus nonnunquam ſtipatur, ſymptomatum vehementiam, ad habitum eryſipelatis externum, ad cauſas ejus remotiores, ad partem affectam, aliasque differentias ſupra enumeratas probe animum aduertat. Eryſipelas non febrile, quod nullum alium morbum comitatur, huicue inſtar ſymptomatis ſuperuenit, morbum admodum leuem eſſe, ſupra jam innuimus: ſi autem febris adeſt, tunc vero periculi magnitudo ex febris ipſius vehementia aeſtimatur, et ex ſymptomatum grauitate.

Ratione habitus externi ſimplex eryſipelas minus diſcriminis habere ſolet quam puſtuloſum, et nonnunquam, praeſertim abſente febre, ſponte euaneſcit, aut ſi febris mitior ſit, non raro intra quatuor aut ſex dies feliciter ſanatur, *quamuis tamen*, teſte perill. van Swieten *f*), *majorem cautelam requirat*, *quam febris ſcarlatina*, *vel rubrae puſtulae in febribus prorumpentes.* Inprimis autem grauiora ſunt eryſipelata capitis, quae eo periculoſiora cen-

e) *Med. Rat. Syſt. cap. cit.* §. 2.
f) *Commentar. T. II. p.* 406.

cenſentur, quo magis tumet facies, praeſertim ſi partes internae oris, narium fauciumque ſimul affi-ciuntur, variaque ſymptomata grauiora accedunt, vt reſpirationis et deglutitionis difficultas, ſopores, peruigilia, deliria, qualia in eryſipelate illo epide-mico obſeruauit cl. DARLVC *g*). Difficilius praeter-ea reſoluitur eryſipelas, quod partes glanduloſas, et praeſertim mammas inuadit, tunc enim ſaepe in ſuppurationem vel ſcirrhum abit, niſi magna cum induſtria tractetur, et praeſertim a quibusuis ex-ternis calefacientibus, irritantibus et inſpiſſantibus abſtineatur. Eryſipelas pedum plerumque quidem periculo caret, ſed in laxioribus facillime tumorem pedis oedematoſum pertinaciorem relinquit.

Puſtuloſum eryſipelas grauius quidem plerum-que eſt ſimplici, quoniam a cauſis vehementiori-bus pendere ſolet, quandoque etiam, licet rariſſi-me, fieri poteſt, vt in gangraenam abeat; atta-men frequentiſſime quoque ſine difficultate curatur, etiamſi cum graui febre, et magno tumore faciei conjunctum ſit, et nequaquam adeo funeſtum eſt, ac credidit P. DE SORBAIT *h*), qui, ſi eryſipelati nigredo quaedam, aut puſtulae, aut mentis aliena-tio ſuperueniat, adeo malum eſſe dixit, vt nullus ſpei relinquatur locus. Zonam magis, quam reli-quas eryſipelatis ſpecies periculoſam eſſe dicunt; diſcriminis autem magnitudo etiam hic ex febris ve-hemen-

g) *l. c.*
h) *Opera medica. p. 614.*

hementia, corporis conſtitutione, aliisque circumſtantiis pendet. PLINIVS praeſertim Zonam, ſi medium hominem cingat, lethalem eſſe aſſeruit: *Ignis ſacri*, inquit, *plura ſunt genera, inter quae medium hominem ambiens Zoſter appellatur, et enecat, ſi cinxerit i*). Hoc autem minime ſemper ita contingere, ex obſeruationibus cl. RVSSEL *k*) patet; TVLPIVS etiam, frequenter ſe hoc malum vidiſſe, ſed ſemper inaequaliter diſperſum, et nemini exitiale, teſtatur *l*). Placet hac de re M. AVR. SEVERINI *m*) ſententia, qui, *perſequitur*, inquit, *hic affectus pallidiores, habitu corrupto, ac viſceribus male valentibus homines: qui his ipſis de cauſis jugulantur, non autem exilis Zonulae vi aut prauitate.*

Ceteroquin generatim rarius ſuppurat eryſipelas, niſi in corpore cacochymico et ſenili, vel ſi malum peruerſa medela tentetur. Talis autem ſuppuratio, plerumque admodum taedioſa eſſe, minusque laudabile pus praebere ſolet, facileque in vlcera chronica, eaque interdum inſanabilia degenerat. Hinc jam HIPPOCRATES *n*) putredinem aut ſuppurationem ab eryſipelate malam eſſe pronunciauit; et apud recentiores paſſim obſeruationes leguntur, quae id confirmant. Sic ill. TISSOT *o*) eryſipelatoſum

i) *Hiſtor. natur.* L. XXVI. *cap.* 11.
k) *lib. cit. Caſe XXXIII. p.* 82. *et ſeqq.*
l) *Obſeruat. med.* L. III. *obſ.* 44.
m) *de recondita abſceſſuum natura* L. IV. *cap.* 9. §. 11.
n) *Aphor. VII*, 20.
o) *Diſſ. de febr. bil. Lauſ. Opuſc. T. I. p.* 69.

ſum tumorem abſceſſiſſe vidit, ex quo tenue flaueſcens pus emanauit, taedioſumque per plures menſes remanſit vlcus. Nonnunquam tamen profundius penetrat ichor, et cute primum eroſa cellularis quoque contextus conſumitur, et in adipoſa tunica, muſculorum interſtitia replente, clam progreditur, eamque erodit, hinc varii ſinus *p*), et late patentia profundaque vlcera, majorem minoremue puris aut ſaniei copiam fundentia, aliquando naſcuntur. Vidit Ellervs *q*) aegrum, ob ingentem puris copiam per plures menſes ex vlcere tali eryſipelatoſo in femore emanantem, in febrem hecticam incidere, ex qua tamen repurgatis tandem vlceribus rurſus euaſerat. Peſſimae indolis vlcus a male curato eryſipelate in tibia ortum vidit Ledelivs *r*), quod per quinquennium inſanabile erat, ex quo foetidiſſimus tandem ichor effluebat, tibiam penitus exedens, quodque nullo alio modo quam pedis amputatione ſanari potuit. Non autem ſemper mala eſt ſuppuratio ab eryſipelate orta; quid, quod cl. Strack eryſipelas ſingulare epidemicum obſeruauit, quod, niſi ſuppurauerit, mortem attulit, omniaque remedia, quae ad exteriora illud euocarunt, ſalutaria, quae autem ſolutionem praeſtiterunt, nociua fuerunt *s*). Peſſimus autem eryſipelatis exitus eſt, ſi liuidum fit et gangraeneſcit,

p) MAYERVS *E. N. C. Cent. VI. obſ.* 62.

q) *Mediciniſche und chirurgiſche Anmerkungen p.* 90. *ſqq.*

r) *E. N. C. Dec.* II. *Ann.* II. *obſ.* 41.

s) *Acta Moguntina* T. I. *p.* 321.

ſcit, niſi, vt obſeruauit DELAMOTTE *t*), gangraena in ſola cute et panniculo adipoſo ſubſtiterit.

Eryſipelas ſymptomaticum dijudicandum eſt pro ratione morbi quem comitatur, acuti ſiue chronici. Sic eryſipelas interdum febribus bilioſis putridis, inſtar ſymptomaticae affectionis, ſuperuenit, ſub iisdem conditionibus, ac in aliis petechiae vel miliaria apparent, et tunc plerumque gangraeneſcit, vti in epidemica tali febre obſeruauit cl. VANDERMONDE *u*). Simile eryſipelas alterutrum crus afficiens, magnis puſtulis praeditum, quod epidemicae bilioſo putridae febri accedebat, in aliis cito in gangraenam tranſiens, in aliis magnas puſtulas formans, quae flauae lymphae copiam effundebant, cum magno aegrorum leuamine obſeruauit cl. BOVCHER *x*). Quod inſtar ſymptomatis ad vlcera accedit, minus facile diſcutitur. Funeſtum inprimis eſt eryſipelas ſymptomaticum in hydrope anaſarca et aſcite, item in diuturno ictero, cito enim, teſte HOFFMANNO *y*) aegrum jugulat; attamen ſine dubio cauſarum indoles et gradus conſiderandi ſunt, ne in dijudicando hujus mali momento errorem committas. Neque periculo carere dicitur eryſipelas, quod cum fracturis complicatur; et inprimis eryſipelas ad capitis laeſiones accedens

r) *lib. cit. obſ.* 98.

s) *Journal de Medecine*. T. XII. *pag.* 354. *ſeqq.*

t) *lib. cit. T. X. p.* 449.

u) *loc. cit.* §. 4.

cedens perill. VAN SWIETEN fere semper aliquid maligni fouere ait *t*): et HIPPOCRATES jam erysipelas ab ossis denudatione malum esse docuit *u*); minime vero dubitandum etiam in his casibus, ea, quae indicantibus accuratius respondeat, medendi ratione, multum plerumque effici posse, ad sinistros euentus auertendos.

Est etiam in hoc morbo molestum, quod erysipelas non semper eundem locum occupet, sed a parte ignobiliori serpat interdum ad nobiliorem; quin et nonnunquam externam corporis superficiem deserat, sedemque in quadam parte interna figat. Quandoque autem e contrario relictis internis corporis partibus cum magno leuamine in superficie cutis apparet. De hoc sic judicauit DIVVS SENEX *x*); *Erysipelas ab externis partibus intro conuerti, malum; ab internis vero extra, bonum.* Omne igitur erysipelas retrocedens, nisi in alia corporis parte externa iterum appareat, malum est, sed semper eo periculosius, quo nobilius est viscus, in quod decumbit. Ad cerebrum vergere dicitur materia retrocedens, cum euanescente in exterioribus malo, deliria, phrenitis, epilepsia *y*), lethargus *z*), aliique graues capitis affectus oriuntur, qui non raro miserum aegro-

t) *Comment. T. I. p.* 397.
u) *Aphor. VII.* 19.
x) *Aphor.* VI. 25. *Coac.* 103.
y) *E. N. C. Decur.* III. *Ann.* IX. X. *obs.* 200.
z) HOFFMANN. *Med. rat. syst. T.* III. *S.* I. *cap.* 8. §. 25. BARTHOLINVS *Act. Hafn. Vol.* I. *obs.* XIV.

aegrotum illuc mittunt, vnde negant redire quemquam. Si ad fauces delata fuerit materia morbida, angina ſubito lethalis ſubſequi poteſt *a*). Si ad pulmones vergit, reſpirationem difficillimam reddit, cum ſumma anxietate; graues etiam pectoris morbi, vt peripneumonia, aſthma conuulſiuum, catarrhus ſuffocatiuus inde oriri poſſunt; et juxta HIPPOCRATIS effatum tale eryſipelas ſemper lethale eſt: *Si foras diffuſum*, inquit, *intro vertatur, et pulmonem corripiat, huic nulla vitae ſpes reliqua eſt b*). Metaſtaſis hujus materiae ad ventriculum et inteſtina atrocia ventris tormina, cardialgias excitat, nec deſunt exempla vomitus lethalis ex hac cauſa orti *c*).

At viciſſim quoque eryſipelas in ſuperficie corporis apparens ſalubritatis notam quandoque fert, et vel a variis morbis partium internarum aegros liberat, quo pertinet eryſipelas criticum, vel magnum ſaltem leuamen iis adfert; hac ratione aſthma conuulſiuum, colicam conuulſiuam *d*), anginam *e*), eryſipelatoſam hepatis inflammationem *f*), aliosque morbos aut feliciter ſublatos, aut admodum leuatos fuiſſe conſtat: Et cel. RICHA obſeruationem narrat de aegro, qui a diro eryſipelate epidemico liberatus, paulo poſt in furorem repente agebatur, vna

a) *Avis au peuple* §. 276.
b) *De morb.* L. I. *cap.* 13.
c) HOFFMANN *Med. rat. ſyſt.* T. IV. P. III. S. II. *cap.* 6. *obſ.* 7.
d) IDEM *lib. cit. cap. de eryſip.* §. 10.
e) ARETAEVS *de cauſis et ſignis morborum acutorum.* L. I. *cap.* 7. HEISTER *lib. cit. obſ.* 517.
f) BIANCHI *hiſt. hep.* P. III. *p.* 434.

cum febre acuta, congruis vero remediis reuocato ad crura erysipelate, haec symptomata sensim sese subducebant; breui vero iterum euanescens erysipelas, facta ad pectus metastasi peripneumoniam producebat, nullum faciendae amplius medicinae locum relinquens *g*).

§. XV.

Erysipelas morbum esse, qui vel nullis, vel diaphoreticis tantum atque discutientibus externis medicamentis egeat, non solum vulgi est opinio, sed et medicorum quorundam animis inhaeret iste error; huic vero sententiae nos quidem in genere subscribere nolimus, etiamsi non negemus, dari quandoque erysipelata, quae solius naturae autocratia sponte euanescunt, si nempe aut nulla, aut modica tantum febris adsit, quae exigua nec difficulter superabili causa foueatur: in quo casu sufficiat regimine temperato vti; cibum esse tenuem, vegetabilem, concoctu facilem; abstinere a carnibus earumque jusculis, ouis, aromatibus, vino: potum bibere diluentem, subacidum; a frigore externo partes affectas defendere: quibus omnibus naturam in tollendo morbo tunc occupatam plerumque satis adjuuamus.

Sed si morbus sit grauior, et in primis si febris vehemens adsit, majorisque momenti causam in aegri corpore animaduertamus, efficacioribus remediis

g) *Constitut. epid. Taurin. A.* 1721. §. 19. *aegr.* 7.

mediis opus eſt, iis nimirum, quae praeſentis febris indoles requirit. Si ergo febris mere inflammatoria ſit, cum diatheſi ſanguinis phlogiſtica, omnia ſunt adhibenda, quae nimiam ſanguinis copiam minuunt, inflammatoriam ejus diatheſin corrigunt, ipſasque ſimul congeſtiones et ſtaſes in parte affecta expediunt. Febris ergo vehementia, eryſipelatis gradus, pulſus magnitudo et durities, linguae et cutis ſiccitas, atque conjuncta forſan partium nobiliorum oppreſſio indicabunt, an venaeſectio neceſſaria ſit, an, et quoties ſit repetenda. Alui obſtructio vel tarditas, aeſtum et congeſtiones ſemper fere augens, clyſterum vſum ſuadebit. Eadem indicantia temperantium, nitri nempe, et acidorum majores vel minores doſes determinabunt, quae, ſi aluum ſimul molliorem reddant ac liberiorem, eo praeſtantiora erunt, cum, etiamſi mere inflammatoria ſit febris, ſemper tamen, ſi in vlla inflammatione, certe in eryſipelate, puritas primarum viarum ſit reſpicienda. Quodſi congeſtio ſanguinis, praeſertim in eryſipelate capitis, tanta fuerit, vt grauia inde oriantur ſymptomata, neque praeter diatheſin phlogiſticam et nimiam ſanguinis copiam vix alia cauſa accuſari queat, talia etiam remedia erunt adhibenda, quae ſanguinem a parte affecta ad alia loca remotiora ſine periculo deriuent. Cucurbitulae et ſcarificationes reuellendi ſcopo ſatis commode vſurpari poſſunt *a*); Grassivs ſcapulis et ceruici

a) HOFFMANN *l. c.* §. 5.

eas admouit, eo cum ſucceſſu, vt die tertio facies liberata fuerit, ſed morbus loca ſcapularum ſcarificata occupauerit *b*). Cel. FREIND *c*) veſicatoria vtrique ceruicis lateri admota, et ill. TISSOT *d*) pediluuia tepida et ſinapiſmos plantis pedum applicatos laudant. Nec eſt quod metuas, ne venaeſectio et cetera illa remedia eryſipelas intus reuocent: et licet exempla ſint eryſipelatis a venaeſectionibus aliisque febrem mitiorem reddentibus auxiliis introuerſi; nihil tamen aliud haec probant, quam circumſpectione opus eſſe, ne ſecetur vena, niſi indicantia poſtulent, neque reliquis medicus abutatur artis noſtrae praeſidiis, vbi locus iis non fuerit, nec juſtos illorum, vltra quam indicantur, limites excedat.

Rarae vero admodum ſunt febres eryſipelatoſae mere inflammatoriae, ſed ſaepius complicata eſt febris inflammatoria cumillioſa, neque raro ex colluuie vitioſa vnice dependere videtur. Cautius in priori caſu adhibenda eſt phlebotomia, quae enim ſymptomata illam poſtulare videntur, eadem per majores temperantium doſes ſaepe ſuperare licet, conjunctis modo iis remediis, quae colluuiem iſtam ex corpore eliminent. Antequam ergo vena ſecetur, temperantia cum aluum ducentibus mixta ſunt adhibenda, vt ſanguinis turgeſcentia et motus minuatur, et ſimul ſordes ex primis viis educantur, tunc-

que

b) *E. N. C. Dec.* I. *Ann.* IX. X. *obſ.* 71.

c) *Lib. cit. p.* 286.

d) *Avis au peuple.* §. 280.

que euentus ipſe plerumque docebit, an temperantium doſis augeri, purgantium minui, venaeſectio inſtitui, eademque repeti oporteat, vel an his contraria adhibenda ſint. Si nulla diatheſeos inflammatoriae ſigna adſint, ſymptomata ex ſola colluuie oriantur, purgantibus ex voto malum leuari obſeruetur, vti ſaepe accidit: inutiles erunt venaeſectiones, ſcarificationes, reuellentia externa, ſed purgantium doſis augenda erit, ſic tamen vt minores purgantis antiphlogiſtici doſes repetitis vicibus exhibeantur, atque ita ſordes ſoluantur, mobiles reddantur, ſenſimque leni diarrhoea ex corpore educantur. Quodſi verſus ſuperiora turgeant ſordes, et mobiles ſint, aluusque jam ſatis aperta et libera, malumque purgantibus fuerit mitigatum, pertinacius tamen ſit, quam vt iis ſolis ex voto cedere velit, vomitorium egregie conueniet, et plerumque morbum citius tollet, quam vbi ſolis infra ducentibus pharmacis inſiſtas. Nec id quoque metuendum, ne eryſipelas a vomitorio aut purgante caute exhibito retrocedat, aut varia grauia mala inde oriantur: hanc enim medendi viam ingreſſi ſunt ſummi in arte viri, GALENVS, FALLOPIVS, BAGLIV, SYDENHAM, MEAD, FREIND, TISSOT, SAVVAGES, BROCKLESBY, MONRO, et permulti alii, qui omnes iterata experientia edocti haec remedia ad hunc morbum tollendum praeſtantiſſima eſſe, et plerumque ad eryſipelas cito tutoque abigendum ſufficere docuerunt. Si denique ex colluuie primarum via-

rum corrupta ſanguinique admiſta putrida febris enata fuerit, non neglecta cauta primarum viarum euacuatione, idoneis antiſepticis putrida ſanguinis diatheſis corrigi, omniaque adhiberi debent remedia, quae ad febres putridas bilioſas requiruntur.

De eryſipelate puſtuloſo id quoque tenendum eſt, majores puſtulas, niſi ſponte dirumpantur, in aegrorum commodum diſſecari aut acicula aperiri poſſe, ne ſerum, quod inibi latet, in pus abeat, aut acre fiat, parteſque ſubjectas erodat et exulceret; licet ipſo etiam ex vſu conſtet, ſi reliqua modo curationis capita, inprimis quoad purgantia et antiphlogiſtica indicantibus accommodanda, recte obſeruentur, ſaepiſſime absque omni vlteriori aegrorum damno, puſtulas illas exſiccari, ortaſque inde cruſtas facile delabi.

An remedia externa parti affectae applicari debeant, non conueniunt inter ſe Auctores; plures tamen in eo conſentiunt, ad ſanationem iſta minus conferre, et multa, quae commendata reperiuntur, diſcutientia efficaciora, calefacientia, refrigerantia, emollientia, adſtringentia, facillime noxam inferre, curationem internam autem plerumque ſufficere, vbi modo pars affecta in blando tepore conſeruetur: quos ipſos etiam omnino imitandos eſſe credimus. Externa enim remedia non raro tranſitum eryſipelatis in ſuppurationem, vlcera mali moris, gangraenam et ſphacelum promouent, aut materiam morbidam a ſuperficie cutis ad partes internas repel-

pellunt, vnde virium languor, vomitus bilioſus, reſpiratio difficilis, phrenitis, lethargus, aliaque funeſta ſymptomata oriuntur. Quocirca omnia topica, quamdiu integram eryſipelatis reſolutionem exſpectare licet, praeter velamenta, quae frigidiorem auram arceant, plerumque proſcribenda cenſemus, niſi forte aegroti ſingularem confidentiam in ejusmodi remedia ponant, quo in caſu talia ſunt applicanda; quae ſi non proſint, ac certe non noceant, potius vt morem illis geramus, quam quod multum de topicis exſpectemus. Admoueri itaque poteſt farina ſecalis, fabarum, lupinorum, vel ſacculi cum ſpeciebus paregoricis, floribus ſambuci, chamomillae, herba meliloti et ſimilibus.

Sunt etiam, qui morbi hujus fomitem per cutis ſpiracula expellere tentant, et diaphoretica ſuadent, quae vero ad eos morbos, quorum cauſa in primis viis latet, ſaltem in initio, minus quadrare videntur, quoniam materiae peccantis, quae per vomitoria et purgantia ex corpore eliminari deberet, in maſſam ſanguinis reſorptionem promouent, vnde omnes humores inficiuntur, variaque ſymptomata grauiora originem ducunt. Conſentientem hac in re habemus cl. GLASS, qui *Sudores quidem*, inquit, *quod in venis vitium eſt, educunt; ſed non impediunt, quo minus materia corrupta a primis viis ei ſuccedat, imo potius eam promouent* e). Sub morbi finem vero ſudores, quos natura vel ſponte, vel

e) *Commentar. de febr. p.* 128.

lenioribus diaphoreticis adjuta, mouet, ad morbi reliquias ex corpore eliminandas, omnino perutiles sunt.

Ad praecauenda mala, quae ex erysipelate retrocedente et partem quandam internam occupante imminent, venaesectio plerumque optimo cum successu institui potest: et vbi hic materiae morbosae ad interiora decubitus fiat ob deficientem naturae vigorem, vesicatoria optimo cum successu applicantur, quae sub hoc rerum statu ceteris praesidiis palmam praeripiunt. Scarificationes etiam, hirudines, sinapismi, reuellendi scopo locum habent. Neque tamen et sub hoc rerum statu negligenda, quam in primis viis forte praesens vitiosa colluuies postulauerit, purgatio vel emesis, cum sordes istae nonnunquam opprimendo vires, ad erysipelas in corporis superficiem expellendum necessarias, noceant, praetereaque ipsam quoque partis nobilioris affectionem inflammatoriam, ex erysipelatis metastasi oriundam, facillime augere, aegrumque in majus discrimen conjicere valeant.

Ceterum, qui erysipelatibus habitualibus crebro recurrentibus obnoxii sunt, prudenter causas euitent occasionales, et a diaetae et regiminis erroribus sedulo sibi caueant. Medico vero prospiciendum est, vt praesertim viscerum vitia, hepatis inprimis, quoad fieri potest, corrigantur, vigor organis chylopoieticis reddatur et conseruetur, euacuationes naturales aliaeque vtiles restituantur,

acri-

acrimonia humorum idoneis remediis emendetur. Hinc quibusdam venaeſectiones aut fonticuli ad praecauendum malum vtiles eſſe poſſunt; aliis cathartica blandiora, aliis reſoluentia viſceralia, tonica aliis, maxime proderunt.

VI.

Diſſertatio ſiſtens de indole ac ſede phrenitidis et paraphrenitidis analecta, publice propoſita Gott. d. 14. Menſ. Auguſt. 1765. Reſpondente Carolo Henr. Fein Hannouerano.

PRAEFATIO.

Ex legum academicarum praeſcripto, inaugurale ſpecimen profectuum editurus, id potiſſimum agendum mihi eſſe duxi, vt, cum noui quid nec antea dicti a medico, vſu rerum adhuc deſtituto, neque proficiſci facile neque forte exſpectari ſoleat, in ejus tamen indolis argumento vires periclitarer, quod non omni ex parte perfectum abſolutumque ſit, ac vlteriori diſquiſitione ex peritiorum ſententia prae aliis dignum videatur. Animo igitur ad eas praecipue doctrinas, quae artis exercitio propius inſeruiunt, appulſo, ex conſilio Ill. Praeſidis, Praeceptoris ad cineres vsque pie deuenerandi, phrenitidem mihi et paraphrenitidem exponendam ſumſi;

par-

partim vt ipfe praefertim in acuto hoc, difficili, ancipiteque morborum genere cognofcendo ac dijudicando, follicita ejus meditatione, confirmatior euaderem, partim quoque vt, eruta, quoad conceffum fuerit, firmioribus ex fundamentis horum natura, quaedam, quae majori attentione haud indigna fore videantur, vbi commodus daretur locus, exquirerem. Hoc in propofito vt perfifterem, fuafit etiam praecipue non leuis auctorum in definiendis curandisque his malis, phrenitide inprimis, diffenfus, qui antiquiffimis *a*) non folum temporibus jam inter medicos locum habuit, fed neque hodiedum prorfus euanuit. Qua in re autem quum caufa de vita hominum agatur, non facile nimia effe poterit induftria, quae in follicita et accurata harum affectionum perfcrutatione verfatur. Quo certior enim et plenior, quod etiam HIPPOCRATES ipfe monuit *b*), notitia de morborum vera indole fuerit,

eo

a) Difcrepantes varias veterum de indole et curationibus phrenitidis fententias vide in CAEL. AVRELIANI *de morb. ac.* L. I. c. VIII. *et* XII. *ad* XVII. Ad curationem ASCLEPIADES v. c. *perinde effe dixit, phreniticis fanguinem mitti, ac fi trucidentur*; referente et contradicente CELSO, quippe qui miffionem fanguinis, fi phrenitici vires illam patiantur, neceffariam habet. L. III. c. 18. ALEXANDRI quoque TRALLIANI verba L. I. c. 13. opinionum de hujus morbi natura difcrepantiam apud veteres breuibus edocent: *quod fane phrenitis fit periculofiffimus adfectus, omnibus eft in confeffo, vnde vero conftituatur et quo adfectu cerebrum laboret, et quae curatio conueniat, de hoc omnes diffentiunt.*

b) *Lib. de flat. pag. 296. edit. Foefii Geneu. 1657. et T. I. p. 400. edit. Linden.*

eo facilius auxilia, quibus persanentur, inueniri poterunt. *Optimumque est*, inquit alibi c), *ad curationem aegrotantium partium accedere per eas, quae morbos faciunt; sic enim quam optime quis principio aegrotantis partis medebitur.* Quamuis autem ab eo quam longissime absim, vt ab omni dubio plane liberam phrenitidis ac paraphrenitidis naturam me sistere posse, existimem, quum ingenia vsu longo subactissima difficultatem hujus negotii non exiguam esse confiteantur, non ideo tamen, vt spero, sinistrum quis meum judicauerit studium, vbi ea modeste subjicere, quae vero quam proxime accedere, et quae hypothesium quarundam siue amore siue familiaritate pertinacius justo defendi ac retineri videantur, probabilibus permotus rationibus indicare suscipiam. Quod ipsum quidem institutum quantumcunque difficultatis habeat, eo tamen illud, ex CELSI monito d), facilius assequi licebit, quo sincerius, et quo minus ambitiosum fuerit veri studium. Fateor equidem argumentum hocce multo ampliorem, quam aliquot pagellarum, explicationem desiderasse; interim ob impedimenta quibus me obrutum video, breuitatis facilius veniam, pertenuis etiam libellus, quam causae male dimissae neglectaeque, obtinuerit. Animum addit merito speranda indulgentia, qua et aequi rerum censores primitias laborum atque iuuenilis ingenii fructus

non

c) *De loc. in hom. c. 3. Lind. T. I. p. 364.*
d) *In praef. ad L. I. pag. 12.*

non solent dedignari. Ceterum nihil magis in votis habeo, quam vt SVMMVM NVMEN etiam haecce qualiacunque conamina in sui nominis gloriam et in aliorum hominum salutem cedere quam benignissime jubeat.

§. I.

Voces phrenitis et paraphrenitis vario quidem sensu ab auctoribus acceptas esse, in dubium nemo vocauerit, cui passim expositas illarum ideas conferre libuerit; ad illarum tamen significationem, apud veteres, inprimis Graecos artis antistites, receptam vix non omnes respiciunt. Sub phrenitidis nomine apud HIPPOCRATEM febris continua *a*), acuta *b*), cum perpetuo delirio *c*), occurrit; et GALENVS hunc stricte secutus, *continuam eam, quae cum febre acuta est, dementiam* phrenitidem nominat *d*). Exinde jam patet, quod ope febris acutae phrenitidem ita a chronica maniacorum atque melancholicorum insania distinxerint, vti perpetua delirii continuatione ab illa febricitantium mentis alienatione, quae παραφροσύνη veteribus plerumque dicta, in acutarum magna parte, per accessionis impetum, non raro accidit, sed breuior esse consueuit, faciliusque soluitur. Atque hanc veram antiquorum sententiam fuisse, vel ex CELSI verbis ap-

a) *Lib. de rat. vict. in morb. edit. Foesii pag.* 384.

b) *De affect. p.* 518.

c) *De morb. p.* 461.

d) *Comment. I. in lib. I. prorrhet. Hipp.*

apparet, inquientis e): *incipiam ab insania, primamque hujus ipsius partem aggrediar, quae et acuta et in febre est. Graeci φρενῖτιν appellant*: et paulo post: *phrenitis vero tum demum est, cum continua dementia esse incipit.* Hanc veterum de phrenitide notionem recentiores quoque praecipui retinuerunt; nisi quod aliqui, ex quibus etiam est F. Hoffmannus f), magnum quoque aestum in phreniticis deprehendi adfirmauerint, compluresque praeterea, quos inter Boerhaavius est g), delirium eo in morbo non modo haud interruptum, sed et ferox esse dixerint. Praeter febrem tamen acutam, continuamque illi junctam dementiam, peculiarem insidiosam, varias ob causas malignam dicendam indolem phrenitidi veteres tribuisse, neminem latere poterit, qui asserta illorum perpenderit. Quo id accurate quoque notaret auctor libri medicarum definitionum, inter Galenicos reperiundi, maxime attentus fuisse videtur, dum ait φρενίτις ἐστὶ παρακοπὴ διανοίας μετὰ ὀξέος πυρετοῦ, καὶ κροκυδισμοῦ, καὶ διανοίας ἔκστασις, καὶ τῶν κατὰ σφυγμὸν, ταύτης ἐμποδισμὸς, καὶ λήθη τοῦ φρονεῖν, ἢ παρακοπὴ φρενῶν σύντομος μετὰ τρόμου, καὶ φωνῆς ἀσαφείας, καὶ ψηλαφήσεως γενομένης τοὐπίπαν ὑπὸ κακοήθους πυρετοῦ. Quoad paraphrenitidem, recentioris originis vocem, in eo plerique consentiunt, febrim illam peracutam, vel acutissimam quoque, insigniendam esse, cui perpetuum deli-

e) *L. III. c. 18. p. 148.*

f) *Oper. T. II. p. 131. Geneu. 1740.*

g) *De cognosc. et curand. morb. Aphor. 771.*

delirium atque ejusmodi fymptomata, quae a fepti transuerfi inflammatione deriuari poffunt, conjuncta fint *h*). Alii, hanc in hypothefin minus proni, paraphrenitides habuerunt acutas febres cum delirio fere quidem perpetuo, fed minus, quam in phrenitide ipfa, vehementi, et manifeftius confenfuali. Plures quidem reperire licet idearum differentias, quas vero commemoratu minus dignas cenfemus *i*).

§. II.

Maxime quidem permultos apud auctores illum inualuiffe vfum, nec tyronem latere poteft, vt phrenitidis aeque ac paraphrenitidis ideas tradituri, illo in morbo cerebri aut meningum, in hoc vero plerumque diaphragmatis inflammationes, characteris inftar perpetui, reliquis ope fenfuum cognofcendis, adjiciant, aut per easdem internarum partium affectiones, minus euidentes, hos morbos praecipue vel unice quoque definiant. Hunc vero morem, etfi quidem is alias, vbi de affecta parte interna, vitiique huic inhaerentis indole, certiffime conftat, facilius tolerari queat, quisque tunc merito rejecerit, qui allegatam fedem indolemque mali dubiis adhuc, vno vel altero faltim in exemplo obnoxiam, deprehendit. Neque fine re a fenfibus remo-

h) BOERHAAVE *Aphor.* 909.

i) Vid. SENERTI *Med. practic. L. I. P. II. c. VI. p.* 218. Conferri quoque digna videtur MENIOTII *diff. de paraphrenitide.* Et BONETI *Polyalth. T. I. c. XVI.*

remotum ejusmodi characterem, etiamsi illius veritas manifeste satis euinci posset, ex definitione morbi omittendum censent methodi praestantioris periti, siquidem ille dignoscendo malo haud inseruiat, atque potius theorematis instar, a definitione sejungendi, propriam suam probationem postulet. Sed vtinam non persaepe pro veris euictisque, ex hypothesi tantum probabili, allegatae essent internorum in morbis affectiones, quas tamen vel plane falsas, vel modo ex parte admittendas esse, ipsae obseruationes docuerint. Hanc vero in definiendo cautionem, vti per vniuersam internorum malorum cohortem ad errores et conclusionum fallacias euitandas multum conferre posse exercitatiores tradunt veri aestimatores, ita inprimis illa maxime videtur attendenda iis in morbis, qui capiti vulgo solent assignari. Horum in aetiologia semper illud BALLONII *a*), aliorum quoque obseruatis haud raro confirmatum, juuat meminisse: *Saepe capita hominum morbo capitis consumtorum aperta sunt, in quibus nil commemorabile repertum est, quod mortem intentasset; et cum alioquin medicus aut abscessum aut simile quid repertum iri pronunciauisset, spes augurantium ipsa inspectio fefellit, eorumque fiduciam et exspectationem in stuporem vertit, ac si cum ipsa anima mortis occasio euolasset.*

§. III.

a) *Consilior. medicinal. L. III. n. 71. Venet. 1735. p. 339.*

§. III.

Quodsi ergo secundum phaenomena, veterum ex monumentis colligenda, et ad experientiae accuratioris normam, tradenda sit phrenitidis definitio, non videtur illa melius exponi posse, quam per febrem acutam, indolis malignae, cum delirio fere perpetuo conjunctam. Delirium hoc non ita semper, vt BOERHAAVIVS pluresque, et ipse DVRETVS *a*) affirmarunt, comparatum, ferociaque peculiari conspicuum esse, etiam secundum clarissima veterum enunciata *b*), experientiae adhucdum omnino conformia, perill. van SWIETEN optime submonuit *c*). Neque aestum magnum cum HOFFMANNO in definitionem recipere possumus, siquidem hoc assertum ex hypothesi saltem vulgari, quae phrenitidem ab inflammatione encephali deriuat, originem suam duxisse videtur, atque descriptionibus morbi antiquorum plurimisque recentiorum obseruatis minime respondet. Notiones autem hujus morbi

a) *Comment. in coac. n.* 96. 97.

b) Ita CELSVS *L. III. c.* 18. *p.* 148 149. etiam adesse jam phrenitidem docet, vbi aeger, quamuis adhuc sapiat, vanas tamen quasdam imagines accipit. Et HIPPOCRATES *praedictor. n.* 33. tremulas obscuras desipientias et vbi aegri continuo quasi attrectando aliquid palpant, valde phreniticas nominat. Confirmat etiam hanc sententiam apertissime GALENVS in suo hujus dicti commentario. Οὐδ᾽ ἐξεμάνη τῶν φρενιτικῶν οὐδεὶς ait quoque HIPPOCR. *Epid. L. III. Sect. III.* edit. LIND. *p.* 725.

c) *Comment. ad aphor.* BOERHAAV. *T. II.* §. 700. *p.* 321. §. 771. *p.* 579. *et* §. 773. *n.* 2. *p.* 592. edit. Bat.

morbi a veteribus medicis aſſumtae, quippe qui toties illum obſeruarunt, prae aliorum quibusque, nobis adhuc et ſemper pro norma inſeruire debent.

§. IV.

Paraphrenitis, vti a BOERHAAVIO deſcribitur, vere duplex et complicatus morbus eſt, quorum alter atrocibus illis ſymptomatibus, ab inflammatione diaphragmatis oriundis conſtituitur, alter febrem et continuum delirium habet; ſed quorum vterque ſaepe ſine ſocio eſſe repertus eſt; quod cum dein magis adhuc demonſtrabitur, jam nobis ſuffecerit auctoritas celeberr. MORGAGNI *a*), judicis, ſine dubio, hac in re maxime idonei. *Noli*, inquit, *credere me cum ſepti transuerſi vitio et inflammatione delirium neceſſario conjungere.* Quum igitur haec notio paraphrenitidis commode aſſumi non poſſe videatur, quia morbi, natura ſua diuerſi, et ſejuncti quoque occurrentes, ſub alterutrius nomine conjungendi non ſunt, hinc potius et conuenientiſſime cum RVCKERO *b*), BRENDELIO *c*), atque aliis *d*),

ſub

a) *De ſedibus et cauſis morbor. per anat. indagatis Epiſt. VII. art.* 14. *Venet.* 1762.

b) *Commerc. Litter. Norimb. A.* 1736. *hebd. XXII. n.* 2. *et A.* 1737. *hebd. XVI. n.* 1.

c) *Diſſ. de cognatione paraphrenitidis et febrium malignarum Gott.* 1752. §. 1. *et* 2.

d) Perill. quidem v. SWIETEN lib. cit. §. 907. haec habet: *paraphrenitis nullibi pro leuiore phrenitide occurrit, ſymptomatica enim phrenitis vel etiam delirium febrile dicitur* παραφροσύνη.

Nihilo

fub voce paraphrenitis leuior minusque acuta phrenitis intelligi poteft, aut febris indolis malignae cum ejusmodi delirio, quod quidem non ita juge ac vehemens eft, velut exquifite phreniticum, attamen quod, cum magis continuum, aut etiam plenariae intermiffionis expers fit, fe fatis a παραφροσύνη illa, aut mentis alienatione febrili tranfitoria atque fugitiua diftinguit. Nullam equidem paraphrenitidis notionem inuenio, quae non aliquam fimul delirii mentionem faceret, et hoc omnino quoque pro charactere quodam ejus morbi praecipuo affumendum effe, etymologia vocis manifefte poftulat. Satis enim ex vfu ipfo conftat, praepofitionem παρὰ, morborum nominibus praefixam, graeca emphafi fua, minorem eorundem intenfitatem frequenter fignificare. Sola autem fepti transuerfi inflammatio, non habita ratione deliriorum, ob magnam fymptomatum fimilitudinem merito ab egre-

Nihilo minus vere fic vfurpatam effe paraphrenitidis vocem conftat etiam ex BONETI *fepulchr*. *L. I. Sect. VII. obf.* 9. SENNERTI l. c. nec non SCHENKII et VESTI *difpp. de phrenitide*; vt tot auctores taceam, qui delirium ex inflammatione diaphragmatis oriundum phrenitidem nominant. Satis autem praeterea conftat eos auctores, qui transuerfi fepti inflammationem pro fede caufae paraphrenitidis non habuerunt, nomenque hoc morbi non plane rejecerunt, neque aliam de fede hypothefin pro certo amplexi funt, in definiendo hoc morbo nobiscum fenfiffe. v. WILLIS *de anim. brut.* p. 258. *B. de* MOOR *path. cer.* c. IV. *p.* 113. TH. ZWINGERI *Theatr. prax. med. fub voce paraphrenitis p.* 338. IO. FRID. ACKERMANN in elegentiff. diff. *praefagia medica ex praecordiis expon, Goett.* 1752. *p.* 14.

egregiis multis practicis, BARBETTIO *e)*, PRINGLIO *f*), aliisque, ad pleuritidem refertur; quod etiam eo aptius fieri potuiſſe exiſtimo, cum pleura ſuperficiem quoque diaphragmatis conuexam ambiat, eidemque ſimili ratione ac ad coſtas et pericardium adnata reperiatur.

§. V.

Si vero quis hoc ſenſu ſumta paraphrenitidis voce carere medicos poſſe exiſtimaret, quum ſic delirium in febre quodcunque vel ad phrenitidem vel ad παραφρενύνην pertineat, leuioresque morborum gradus peculiaribus nominibus haud indigeant: illi quidem omnia haecce quam lubentiſſime largirer. Atque nullum forte incommodum ex omiſſa voce paraphrenitis metuendum eſſet, ſiquidem nec priſci medicorum antiſtites, HIPPOCRATES, GALENVS, ARETAEVS, PAVLVS AEGINETA, ALEXANDER TRALLIANVS, AETIVS, CELSVS cet. ea vſi ſint, neque illorum quis, nec recentiorum complures, vt FORESTVS, FERNELIVS, SYDENHAMVS, FR. HOFFMANNVS, et quoad recordamur, MORTONVS, BAGLIVVS, ex eadem praetermiſſa, damni quid in arte ſua contraxerint; niſi ſuſceptum jam hocce nomen apud multos, etiam praeſtantiſſimos auctores eſſet, diu ab aliis fotum, ab aliis toleratum. Et

e) *Prax. lib. 3. pag. 70. Amſtelaed. 1693.*

f) *Obſerv. on the diſeaſes of the army P. III. c. 2. edit. german. Altenburg. p. 160.*

est sane status inter phrenitidem acutiorem, prouti a permultis definitur, atque παραφροσύνην medius, qui quandam ab vtraque singularem diuersitatem monstrat, et apprime paraphrenitis, si vox haecce retinenda, appellari potest. Quamuis etiam HIPPOCRATES, quoad affectas in phrenitide partes, discrimen, serioribus temporibus assumtum, nullibi stabiliuisse videatur, quoad indolem tamen delirii, acutioremque vel minus acutum ejus morbi decursum vtique differentias admisit. Licet etiam probanda non sit GALENI sententia de παραφροσύνῃ illa, ex diaphragmatis φλεγμονῇ oriunda, prae reliquis febrium symptomaticis deliriis, phrenitidi maxime simili, non sine re tamen vel exinde colligimus, cognitas GALENO febres fuisse cum delirio fere perpetuo conjunctas, et manifestius quam aliae phrenitides ex praecordiorum aliqua parte consensuales, minusque acutas, ideoque peculiari nomine, forte non sine aliquo artis commodo, si in id consentirent peritiores, ab altera phrenitide distinguendas. TRALLIANVS, qui expressis verbis ex transuersi septi inflammatione phrenitidem vnquam fieri negat, sub nominibus tamen φρενίτιδος νόθης et χρονισάντων φρενιτικῶν aegros quoque describit, mitius, minusque acute, etsi etiam satis periculose, eodemque modo laborantes, quo sese paraphreniticos habere, medici recentiores, in hypotheses minus proni, docuerunt. Neque minus ARETAEVS differentiam inter phrenitidem ἀπὸ κεφαλῆς

φαλῆς

φαλῆς et illam ἐξ ὑποχονδρίων assumens, et aliquando morbum in longius tempus protrahi, febrimque ignauam esse, et in fatuitatem delirium verti afferens *a*), duplicem signisque distinguendum phrenitidis genium confirmat, etiamsi in allegata ἰδιοπαθείᾳ sensus fugiente, errorem forte admiserit.

§. VI.

Non possum tamen quin et hic moneam, diuersam significationem vocis graecae φρένες aliquid etiam rationis videri contulisse, ad stabiliendam inter phrenitidem atque paraphrenitidem differentiam, simulque forte ansam praebuisse ad varias de sede phrenitidis amplectendum sententias. Quod enim illa vox apud scriptores antiquissimos praeter mentem, prudentiam, ingenium, praecordia *a*) quoque denotet, alias et ὑποχόνδρια et ἐπιγάστριον dicta, id non solum vocis vsurpatae sanior interpretatio declarat *b*), sed veteres quoque nonnulli auctores eam ejus olim fuisse significationem diserte tradunt. RVFVS quidem EPHESIVS obscurius *c*): *qua cor situm est*, inquit, *φρένες vocantur; aliqui*

 προκαρ-

a) *De curat. morb. acut.* L. l. c. I. *edit. Boerh.* p. 73. 74. 77.

a) Quo vario sensu vox praecordia latinos apud Auctores occurrat, inprimis accurate exposuit Vir eruditissimus, IO. FR. ACKERMANN in diss. *de praesagiis ex praecordiis* p. 3. n. (a)

b) Conferri poterit H. STEPHANI *thes. Linguae gr. sub voce* Φρένες.

c) *Lib. de C. H. partium appellationibus. Londini* 1726. *pag.* 51.

προκαρδίαν, *aliqui* καρδίαν *nominant; post ipsum est ventriculi ostium.* Atque hanc regionem corporis illi candem fere fuisse, quae nobis epigastricae aut praecordiorum nomine venit, exinde quodammodo intelligi potest, quod etiam antea alicubi dixerit *d*): *Sub pectore cauum ventriculi os dicitur, quod alii* προκάρδιον, *nonnulli vero* καρδίαν, *ac dolores ibidem enatos ideo* καρδιωγμοὺς καὶ καρδιαλγίας *vocauerunt.* Quod ipsum quoque praecipue maximeque confirmat, atque simul translatae primum a PLATONE significationis ad septum quoque transuersum aliquam rationem exponit assertum GALENI *e*): τὸν δὲ κάτω τῦ θώρακος ὅρον οἱ μὲν παλαιὶ πάντες ὠνόμαζον Φρένας, εἴθ' ἁπλῶς ἐπελθὸν αὐτοῖς, εἴθ' ὡς τινες οἴονται, διότι Φλεγμαίνοντος αὐτῦ βλάπτονται τὴν Φρόνεσιν οἱ κάμνοντες. Ἀπὸ Πλάτωνος *f*) δ' εἰρξατο καλεῖσθαι διάφραγμα, προσαγορεύσαντος μὲν αὐτῦ Φρένας, ὁμοίως τοῖς ἄλλοις παλαιοῖς, ἡγεμένε δὲ τὴν τῦ δια-

Φρά-

d) *Pag.* 36. Hoc ipsum quoque confirmat explicatio vocis προκάρδιον, quam tradit Iul. Pollux: προκάρδιον τὸ ὑπὸ τῷ σήθει ἐγκοίλιον, μαλακόν, καὶ σαρκόδες κατὰ τὸ σόμα τῆς κοιλίας (ὀνομάζεσιν). ὑπόκειται δὲ τῷ χόνδρῳ τῦ σήθεος ὅ ἐσὶν ὀσῦν ἐκπέφυκὸς τῦ σήθεος καὶ λήγυν εἰς αὐτὸ τὸ τῦ σήθεος ἄκρον ὀσῦν, ὃ καὶ ξυφοίδες καλεῖται. Onomast. II 164.

e) *De loc. affect. L. V. c. IV.*

f) *v.* PLATON. *Timaeus p.* 70. *ex edit.* I. SERRANI. *Lausannae* 1577. Sententia PLATONIS explicata quoque legitur apud ARISTOT. *de part. animal. L. III. c. X.*

φράγματος ἐν τοῖς ζώοις χρείαν ἔχειν, ἐπειδὴ τὸ θυμοειδὲς τῆς ψυχῆς ἐν καρδίᾳ περιεχόμενον ἀπὸ τοῦ καθ' ἧπαρ ἐπιθυμητικοῦ διαφράττοι. Τοὐντεῦθεν δὲ ἔθος ἔσχον οἱ ἰατροὶ προσαγορεύειν αὐτὸ διάφραγμα, τῆς ἀρχαίας ἀμελήσαντες προσηγορίας. Et omnino GALENVS ratione ſedis inflammatoriae febris cujusdam, aemulae phrenitidi verae, in diaphragmate conſtituendae, medicos illum ſectantes plurimos, quantum conſtat, praeiuiſſe videtur, dum paulo poſt inquit: παραφροσύναι μὲν οὖν γίγνονται κἀπὶ τῷ τῆς γαστρὸς σώματι κακοπραγοῦντι, καὶ διακάεσι πυρετοῖς, καὶ πλευρίτισιν, καὶ περιπνευμονίαις, ἀλλ' αἱ διὰ τὰς φρένας, ἐγγὺς τῶν φρενιτικῶν εἰσίν. Dein etiam illas omnes quoad originem diuerſas παραφροσύνας a vera phrenitide, quam non ex cerebro per conſenſum duntaxat affecto, ſed eodem κατ' ἰδιοπάθειάν τε καὶ πρωτοπάθειαν laborante, accidere aſſerit, per varias notas, praeſertim τῷ ἐν ταῖς παρακμαῖς τῶν πυρετῶν παύεσθαι τὴν παραφροσύνην, diſtinguit, additque de veris phreniticis: κατὰ βραχὺ γὰρ οὕτως ἐπ' ἐγκεφάλῳ πάσχοντι φρενιτίζουσιν. Ἐπ' ἄλλῳ δ' οὐδενὶ μορίῳ τὸ διηνεκὲς ἐστὶ τῆς παραφροσύνης, ὅτι μὴ διαφράγματι μόνῳ. Vnde patet GALENO jam, et quod nobis conſtat, primo, ſententiam fuiſſe de febrili morbo duplici, cui delirium eſſentialis inſtar characteris conueniat, altero nempe ex affecto ipſo encephalo, altero autem ex affecto diaphragmate, etſi peculiari nomine hunc nondum ab omni reliqua paraphroſyne febrili diſtinxerit. Ex

dicta autem ambiguitate factum fuiſſe videtur, vt paſſim interpretes latini antiquiſſimorum etiam auctorum verbum φρένες per diaphragma verterint, medicique ſcriptores varii in condendis artis terminorum definitionibus hanc illi ſignificationem in vniuerſum et abſque limitatione tribuerint *g)*. Inde quoque ſunt, qui phrenitidem ipſam ad mentem veterum non aliter quam per diaphragmatis inflammationem eſſe definiendam contendant *h*).

§. VII.

Nulli plane obnoxiam dubio exiſtimamus differentiam, ſatis vſu peruulgatam, quae phrenitidem inter primariam et ſymptomaticam conſtitui ſolet. Hanc, ex lege partitionis multis in morbis vſitata, vocant, quae alium morbum, vnde naſci potuit, ſequitur vel comitatur; illam vero, vbi his contraria reperiuntur. Symptomatica metaſtaſeos inſtar non quidem infrequenter febribus bilioſis et putridis, tum ſolitariis tum inflammatoriis, tum exanthematicis quoque accedit. Quoad decurſum longe major in hacce quam in primaria varietas eſt, quum et febris genius, et conditio vehemen-

g) Vnde ipſe quoque RVFVS EPHESIVS minus ſibi conſtare videtur, dum l. c. p. 38. φρένες per diaphragma vertit. Ceterum conferri merentur quoque GORRAEI *defin. med.* ſub voce φρένες. *Lutet. Pariſ.* 1564.

h) v. ETTMVLLERI *Oper. Tom. II. p.* 586. qui ſimul tamen veteres erraſſe putat, et ex inflammatione meningum originem potius morbi deriuandam eſſe tradit.

hementiaque deliriorum, et conjuncta ſymptomata, et acutae indolis gradus a praegreſſo morbo, eodemue ſimul continuante magnam partem dependeat. Inſtituti autem ratio nunc haud videtur prolixiorem poſtulare horum explanationem; quum enim praecipua et generaliora in ſymptomaticis animaduertenda, in primaria etiam phrenitide occurrant, de hujus inprimis indole atque ſede hic tractare conſtitui.

§. VIII.

Phrenitidis autem, praeſertim primariae, decurſus commode in duo ſtadia diſpertiri poteſt, quorum primum manſuetum eſt, quum et ipſo Hippocrate docente *a*), initio phrenitidis omnia moderate ſe habeant. Alterum ſtadium furioſum ſeu delirii manifeſtioris vocari poteſt, hoc ipſum enim in progreſſu morbi longe fit euidentius certiusque continuum, et plerumque vehemens exiſtit. Quando ergo ipſe morbus incipit, febris jam mitiſſimae non valde obſcura quaedam ſunt indicia ex linguae ſiccitate, laſſitudine, καρηβαρία, fugacibus perfrigeriis, cum aeſtu aliquo, ſubinde alternantibus aut permiſtis, etſi hoc ad contactum non adurente, aliquali tamen, et ipſis praeſertim ab aegris in capite percipiendo. Hanc febrem quidem b. Brendelivs *b)*, etiam ſuffultus effato Aetii *c*), plerum-

a) *Coac. praenot. n.* 92. FOESIVS *p.* 130.
b) *Diſſ. de phrenitide Gott.* 1756. §. *I.*
c) *Tetrab. II. ſerm. II. c.* 2. *edit. H.* STEPH. *p.* 243.

rumque non statim in phreniticis reperiri, sed serius iis accedere asseruit; simul tamen illam huic morbo essentialem esse, siue partem ejus cardinalem constituere, admisit. Quamuis autem in dubium vocare minime contendam, aliquando hunc morbum, aliarum instar ex malignarum ac inflammatoriarum tribu febrium, prodromos habere varios, et qui phantasiam praesertim quodammodo perturbatam, insolitam animi morositatem, somni requiem ex internis occultioribusque causis impeditam, varieque affecta praecordia sistant; ea tamen, quae et plurimorum est, magis arridet sententia, qua cum febris phrenitidi conjunctae initio et morbum ipsum, hoc nomine distinguendum, incipere asseritur *d*).

§. IX.

In hac autem phrenitica febre, ad aliarum instar acutarum, quotidianae, et alternis diebus non raro grauiores, haeque nonnunquam paribus diebus accedentes *a*), obseruantur exacerbationes, tolerabilioribus quidem distinctae interuallis, sed minus regulares minusque certi typi; ideo phreniticis ARETAEVS *b*) continuas febres esse, nec longas remissiones, sed *breues modo et latentes sublevationes*, pronunciauit. Intercurrunt subinde quoque prae-

d) Conf. WILLISIVS *de Anim. brut. P. II. c. X. in opp. Geneu.* 1676. *p.* 256. *et B. de* MOOR *pathol. cerebr. c. IV. p.* 105.

a) HIPP. *coac.* 79.

b) *de curat. morb. acut. L. I. c. I. ex edit.* BOERH. *p.* 173.

praeter ordinem perfrigeria, aeſtu aliquo aucto, tenuique ſudore vix leuante, excipienda, vel cum his etiam varia ratione permiſta c). Qui febrium malignarum initiis tribui ſolent capitis, ceruicis, manuum, pedum ac ſurarum, etiam aliquando lumborum, dolores, cum laſſitudine ac torpore conjuncti, merito etiam, praeeunte Coo d), manſuetiori huic afferuntur ſtadio. Pulſus, quemadmodum GALENVS e), TRALLIANVS f), atque ex recentiſſimis HOFFMANNVS g) teſtantur, paruus, durus et imbecillis, rariſſime magnus deprehenditur, etiam ab AEGINETA h) ille praeterea languidus eſſe dicitur. FERNELIVS durum, paruum, mire celerem et crebrum eſſe refert i), ita quidem ac ſi propinquam ſyncopen denunciaret, interdum quoque tremulum et cum conuulſione intermittentem obſeruari. Omnino is inconſtans eſt, plurimasque in utroque ſtadio varietates admittit, ordinarie tamen haud magnus neque plenus reperitur. Lingua alba vel flaueſcens eſt, nec ſine aliqua difficultate exſeritur, tremulaque tum eſſe ſolet k), magis magisque ex reſiccatione denſa fit atque aſpera l), neque

c) HIPP. *coac.* 12. 13.
d) *Coac.* 30. 36. 179. 76.
e) *De pulſ. ad tyron.* c. 12.
f) *L.* I. *cap.* XII.
g) *Oper.* T. II. *p.* 131.
h) L. III. c. VI. *edit.* STEPH. *p.* 419.
i) *De pulſ.* L. III. c. VI. *p. m.* 308.
k) HIPP. *Coac.* 99. 233. *Praedict. l.* 20.
l) HIPP. *praedict.* L. I. *n.* 3.

que raro in morbi progressu nigrescit *m*). Vrinae saepius crassae ac turbidae sunt, in tenues dein atque pellucidas facile transiturae *n*). Nonnunquam et aliqua sunt vrinae praeter rationem coctae fallacissima simulacra *o*). Aluus semper praeter ordinem se habet, modo enim obstructa est, modo feces biliosae, spumosae, praerubrae, durae atque albicantes egeruntur *p*). Circa praecordia, secundum HIPPOCRATEM, *q*) aliquis dolor sentiri solet, praecipue vero versus dextram partem, et in ipso epigastrio; et omnes fere antiqui in eo conueniunt, quod in hoc morbo hypochondria simul perpetuo affecta sint, eademque et contactu visuque explorata, dura, tensa, tumida, palpitantia, reuulsa, subinde appareant. Quoad sanguinis ex vena emissi qualitatem, in vniuersum nihil certi definire licet, quippe qui equidem aliquando nimis tenuis, minusque ad concretionem pronus, nonnunquam, cum refrixit, inaequaliter cohaerens, etiam variegata cuticula, aut subviridi quadam crusta praeditus reperitur, attamen alias quoque animaduertente BRENDELIO *r*), *etiam sub altero, jamque furioso stadio, nihil manifestae habet corruptelae.*

§. X.

m) HIPP. *de morb.* L. III. cap. VI.
n) HIPP. *aphor. S. IV. n.* 71. v. et BAGLIV. *opp. edit. Lugd.* *p.* 102.
o) *Coac. n.* 30.
p) *Praedict.* L. I. *n.* 2. *et* 13. *et coac.* 96.
q) *De affect.* FOES. *p.* 518.
r) *Diss. de seriori vsu euacuantium in quibusdam acutis Gott.* 1754. §. *X.*

§. X.

Haec omnia quemadmodum magna ex parte malignitatis modo ſigna ſunt, ipſo conſentiente Coo *a*), febres ex praecordiorum doloribus malignas dicente, ita quoque nondum phrenitidem ab alia quauis maligna febre ſatis diſtinguunt. Sed alia quoque plura dantur indicia, quae morbum noſtrum in primo jam ſtadio manifeſtant, et ex quibus, ſi rite attenduntur, futurum grauius delirium minus dubie diuinari poteſt. Illuc pertinet magna quaedam in ſomnum propenſio, ſed irrequietum, turbulentum, multisque et pauoribus et expergefactionibus interruptum, corpusque non raro magis delaſſantem. Quidam vero veternoſa ejusmodi ſomnolentia conflictantur, cum variis imaginibus, quae in expergefactis etiam perſeuerant, conjuncta, et a quibus exclamant aliquando perterriti, anxiique exſiliunt; in quibusdam contra peruigilium cum animo hebetiori pertinacius praeſto eſt, et in quo ſubinde ſingularis animaduertitur obliuio eorum, quae modo audiuerint, aut ipſimet dixerint, egerintue, vt aliqui, cum vas ad mingendum tenuerint, mingere non recordentur, aliqui cum tumultu inſolito ac temeritate reſpondeant, cum antea mites fuerint et modeſti *b*); non raro tamen iſta quoque in ſtadio manſuetiori ſuas alternare vices obſeruantur. Dein praecipue quoque memorabiles hoc in

morbo

a) *Praedict. L. I. n. 56.*

b) *v. Coac. n.* 47. 83. GALENI *de Loc. affect. L. V. c.* IV.

morbo sunt ariditati linguae minime respondens auersatio potulentorum, et magna sensibilitas systematis neruosi, quae mala dein sensim increscunt, etiam ab HIPPOCRATE his verbis notata c): *phrenitici parum bibunt, ex leuibus strepitibus facile irritantur et percelluntur et tremuli sunt.* Porro respiratio saepius rara et profunda est, adeo vt quoque signum transitus in phrenitidem symptomaticam sit, quando in pleuritide vel peripneumonia spiritus sub malo statu facilis atque magnus fit. Non vero semper vsque ad morbi hujus finem ita se habet respiratio, sed quoad hanc etiam permutationibus obnoxii sunt aegri, siquidem et nonnunquam breuis ac difficilis, praesertim cum anxietates illos affligant, reperitur; praeterea solet quoque morbus ex peripneumonia *d*) inter sopores sudoresque frequenter aegrum necare, vnde HIPPOCRATES forte dixerit *e*): *desipientia cum difficultate spirandi et sudore lethalis est.* Aliud peculiare symptoma in primo jam stadio est sputatio siue *exscreatio frequens et irrita, quae, siquidem aliud quoddam signum adfuerit, phrenitidem portendit f*); praesertim vbi humor globosus ac tenacior, rotundi sputi nomine cognitus, ejiciatur *g*). Praeter haec omnia medici jam antiqui fixos in vnum

c) *Praedict.* L. I. *n.* 16. ARETAEI *de curat. morb. ac.* L. I. c. I. *edit.* BOERH. *p.* 72.

d) HIPP. *de adfect. p.* 518.

e) *Coac. praen. n.* 89.

f) *Praedict.* L. I. *n.* 6. *coac. n.* 241.

g) HIPP. L. VI. *epid. Sect.* III. *n.* 26. *et Sect.* VI. *n.* 21.

vnum locum oculos, fulgentes, rubentes, truces, nonnunquam hebetes, ſqualidos cum inhaereſcente pituita et profluentibus ſubinde lachrymarum guttis, faciem bene coloratam atque ſuperciliosſam, dentium ſtridores, aurium ſonitus, difficultatem auditus, aut viciſſim aciem in audiendo ſolito majorem, corporis inquietudines et jactationes, ſuperiorum partium tenues ſudores, vomitiones exiguas aeruginoſas, cet. velut prodromos imminentis delirii phrenitici, ad amuſſim experientiae quam rectiſſime commemorant. Quae inter attentione dignum videtur, ſyſtema inprimis neruoſum hoc in morbi genere, quoad varias illius functiones, in vniuerſum grauius affectum deprehendi ſolere, quam alias, vbi ſimiles vel peiores conditiones, quoad febrim, quoad ſordium ad praecordia colluuiem, quoad impedita munia viſcerum, adſunt. Huc et non ſine re frequentes retuleris, ab HIPPOCRATE memoratas *b*) phreniticorum permutationes, quoad caloris, ruboris, ſudoris, quietis aliarumque conditionum inconſtantiam, et ſubitaneam cum ſtatu contrario viciſſitudinem obſeruandas. Atque his probe perpenſis et in vſum verſis, in magnum aegri emolumentum latentis morbi genius ſatis mature haud raro dignoſci, et periculum inde metuendum nonnunquam vel praeuerti vel moderari ſaltim poterit.

b) *Coac.* 92. 101.

§. XI.

Quum fic mitius aliquamdiu ad quartum vsque, quintum, aut fextum, vel paulo diutius etiam fe habuerint aegri, neque interea illorum conditioni efficaciter profpectum fuerit, manifeftior mutatio morbi deteriorem in ftatum fuccedit, alterumque ftadium ejus incipit. Delirium enim antea tranquillum et fugitiuum, nunc euidentius et fere perpetuum euadit; et cum antea forte aeger foporibus detentus minusque grauiter affectus effe vifus fuerit, continuo nunc peruigilio expofitus eft, vnde quidam auctores, nec forte adeo inepte, hujus in definienda phrenitide mentionem fecerunt *a*). Hujus autem delirii plura genera funt, fiquidem ex phreniticis alii iracundi et furiofi violentius fe gerunt, fic vt vinculis coerceri debeant, alii hilares funt et facilius continentur, alii floccos carpunt, leuiter manu peccant, et intra verba defipiunt. Dolores nunc quoque circa praecordia, vbi deliriorum ratio illorum fenfum admiferit, etiam Hippocrate affirmante *b*), increfcunt, et aeftus aliquo modo major fit, fed nec tum ftatis in interuallis; praefertim vero quando aegri enixe quaedam viribus fuis moliti fuerint, magis incalefcere, et anxii fieri folent, qui autem ftatus ab exacerbatione febrili omnino diftinguendus eft. Deliria enim

a) Ita quoque DVRETVS phreniticos dicit aliquoties eos, qui cum vigiliis et ferocitate per fympathiam febris continenter delirant. *Comm. in coac.* HIPP. *n.* 96. 97.

b) *L. de affect. p.* 518. FOES.

enim non plane exacerbationibus febris respondent, neque alienatam vnice conditionem corporis sequuntur, sed pro varietate quoque occasionum nouas in mente ideas excitantium, incertis temporibus magis vrgent; semper autem, quum hoc jam stadium incepit, nisi vel natura leuamina praestet, vel efficacior medela succurrat, in progressu intensiora fieri solent, donec inter varia funesti euentus indicia, ab HIPPOCRATE sollicite memorata *c*), mors tandem obrepat, quae praeuio plerumque tremore, horrore aut rigore, dein stupore, aphonia, lethargo, conuulsione, nonnunquam et redeunte prius rationis vsu *d*), accidere obseruatur *e*). Hoc stadium vbi valde graue et vehemens fuerit, raro vltra tres vel quatuor dies durare consueuit, nonnunquam citius finitur *f*), aliquando vero mitius ad septimum et vlterius protrahitur. Verum rarissime aegri ex difficillimo hoc statu exquisitae phrenitidis emergere valent, nisi prouida natura per haemorrhagiam narium, aliamue, aut varia haemorrhoidum genera, aut diarrhoeam biliosam, aut copiosum in vrina sedimentum, aut per metastasin quandam, criticis etiam sudoribus intercur-

c) Quae satis fuse exposita reperiuntur in PROSP. ALPIN. *de praesag. vita et morte* L. II. C. V.

d) HIPP. *coac.* I.

e) *Coac.* 31. 84. 85. 88. 90. 93. 97.

f) Phrenitides apud Aegyptios tribus quatuorue horis lethales obseruatas esse refert PROSP. ALPIN. *de medic. Aegypt.* L. I. C. XIII. *p.* 50.

rentibus et fubfequentibus, aegrum leuet atque femet ipfam vindicet. Si autem horum quid falutari modo inciderit, deliria, quae diu noctuque aderant, nunc fenfim minuuntur, et cum fomno placido, minus infomniis perturbato et reficiente alternant, iftoque fub fomno inprimis aegri reftituuntur.

§. XII.

Paraphrenitis, bene afferente KLEINIO *a*), *non tanti nec tam praecipitis eft periculi quam phrenitis*, ceterum fimilem omnino decurfum habet; quem pleniffime et qua folet accuratione BRENDELIVS olim nofter expofuit *b*). In eo autem ex horum fententia differt hic morbus a phrenitide, quod neque indicia futuri delirii, neque hoc ipfum adeo ac in illa manifefta et confpicua fiant. Mentis alienationem id proprii hic monftrare perhibent, quod aegri magis et frequentius tranquilli, moefti, ac morofi, decumbant, ad ferociam rarius perueniant, et quafi meditabundi vanis fuis cogitationibus inhaereant, ad refpondendum difficiles, modo dictorum aut factorum faepius obliuifcantur, neque ftatus fui neque aptorum contra eum praefidiorum folitam alias curam gerant, fed incauti, fiue periculi propinqui metum, fiue recuperandae valetudinis fpem praeter confuetudinem plerumque negligant. Hic morbus ad tres pluresue hebdomades extendi faepe folet, atque

a) *Interpres clinicus p. 231. Francof. 1759.*

b) *Diff. de cognatione paraphr. et febr. malignar.* cit.

atque manifestioribus cum praecordiorum affectionibus, colluuiei ad primas vias collectae, biliosae vel putridae, ejusdemque mobilioris, capitisque et pectoris et artuum per consensum inde laesorum indiciis saepe stipatus reperitur. Minime vero praecordiorum intro et sursum factam reuulsionem, nec respirationem sublimem, paruam, celerem, suffocatiuam, nec dolorem regionis, quam diaphragma occupat, intolerabilem, neque reliqua symptomata ex inflammatione septi transuersi vnice deriuanda, hoc in morbo perpetua aut valde frequentia quis existimet, quum ipse rerum vsus alia plane doceat, etiam dein dicendis vlterius confirmanda. Frequentius multo exquisita illa phrenitide obseruatur, et saepe sub specie nomineque febris miliaris, aut petechialis, aut catarrhalis malignae, aut biliosae epidemicae, aut synochi putridae occurrit. Neque parui certe discriminis est, quamuis inde facilior quam ex phrenitide, naturae artisque ope ad salutem transitus detur. Tales videntur aegri fuisse, qui ab HIPPOCRATE in libris epidemicorum passim c) vt phrenitici, plures per hebdomades aegrotantes et parum insanientes describuntur, quorum quoque alibi d) *tremulas*, *obscuras et palpantes desipientias*, *valde phreniticas* dixerit. Neque improbabile est hujus plane indolis morbos fuisse, quos ALEXANDER

c) *Lib. III. aegrot.* 13. 14. 15. 16. *pag.* 111. et seqq. vel *L. III. S. III. T. I. p.* 739 *edit.* LIND.

d) *Praedict. L. I. n.* 34.

TRALLIANVS defcripfit *e*) fub nomine phrenitidis nothae et χρονισάντων τῶν φρενιτικῶν.

§. XIII.

Quod nunc ad fedem et qualitatem attinet vitii, corporibus aegrotantium inhaerentis, phrenitidemque excitantis, mirum haud eft, quod plurimis grauem aliquam et acutam capitis ipfius affectionem hujus mali caufam effe maxime probabile vifum fuerit, quum tam diri mentis morbi rationem quisque difficilius extra intima principii cogitantis domicilia dari conceperit. Vnde GALENVS quoque *a*): *phrenitis*, ait, *fiquidem exquifita et non permifta alteri morbo, fit bile flaua locum, in quo princeps animae pars refidet, prehendente.* Ex eadem etiam caufa factum effe verofimile eft, quod jam TRALLIANVS, PAVLVS AEGINETA et AETIVS phrenitidis caufam in inflammatione meningum nec non ipfius cerebri quaefiuerint; ita tamen, vt hi duo poftremi inflammationem cerebri dein quoque, velut morbum fingularem, confiderauerint et pertractauerint. Hafce caufas recentiores permulti retinuerunt, immo vix non omnes adhuc inflammationem in encephalo natam phrenitidem excitare ftatuunt; eo tamen cum difcrimine, vt plurimi hancce caufam inflammatoriam tum in ipfo cerebro, tum etiam in ejus membranis latere poffe contendant, quidam a meningibus

e) *L. I. c. XII.*

a) *Comment.* I. *in* L. I. *prorrhet.* HIPP.

bus eam excludant et in cerebrum ponant ſolum *b*), quidam vero contra, cerebri ſubſtantiam inflammatam phrenitidis cauſam non praebere, ſed in ſolis meningibus eandem ſubſiſtere tradant. Ipſe quidem HIPPOCRATES, quod memorabile eſt, ſedem phrenitidis nunquam capiti, ſed alicubi potius praecordiis adſcripſit. Nullum certe in libris ejus locum inuenio, vbi phrenitidis cauſam in encephalo eſſe, multo minus vbi illam in hujus inflammatione conſiſtere pronunciaſſet. Neque ea ejus praeſagia, quae perill. van SWIETEN hoc nomine adducere videtur *c*), hoc recte euincunt. Sic enim altero in loco *d*) Senex habet: *capitis dolores vehementes et continui cum febre*, *aliquo quidem ex ſignis lethalibus accedente*, *pernicioſi valde ſunt.* Quum vero etiam addiderit, ſi absque talibus ſignis dolor viginti dies ſuperet, ex narium haemorrhagia aut-abſceſſu ad infernas partes leuamen exſpectandum eſſe, ſimiliaque plane alibi cum varie affectis praecordiis conjunxerit, alteroque in loco *e*) phrenitidem quoque ex iisdem reuulſis, alia inter ſigna occurrentibus ipſe praedixerit: probabile nullum ex illo dicto argumentum peti poteſt, COVM ibi encephali inflammationem, ab aliis, et recentiori quidem aetate, in phrenitide fieri creditam, confirmare. Eo minus

Q 4 vero

b) Vid. MORGAGNI lib. cit. *Epiſt.* VII. *art.* 8.

c) *Comment. in aphor.* BOERH. §. 772. *T.* II. *p.* 582.

d) *Prognoſt. cap.* XXII. vel etiam *n.* 56. LIND. *T.* I. *p.* 466.

e) *Coac. praenot. n.* 119.

vero fententiae hujus patrocinia ex HIPPOCRATE quis obtinuerit, quo manifeftius paffim ad affecta inprimis praecordia fuis in praefagiis ipfe attentionem habuit, eademque aliquando fere fola tanquam deliriorum caufam incufauit. Ita enim v. c. *quae contingunt in febre circa ventrem palpitationes mentis emotiones afferunt f)*; et alibi: *quodfi etiam*, inquit, *pulfus in praecordiis infit, ille perturbationem aut delirium indicat g)*. Neque vero haec de folis deliriis valent, nam et ipfius phrenitidis fedem et caufam in praecordiis effe HIPPOCRATES diferte affirmat; dicit enim *h)*: *quibus dextra parte (ventris) aliquantulum mollis diftentio fit, phrenitici euadunt.* Et vbi ex profeffo, vt ajunt, de phrenitide agit, haec in fine adjungit *i)*: ἡ δὲ νȣ̃σος γίνεται ὑπὸ χολῆς, ὅταν κινηθεῖσα πρὸς τὰ σπλάγχνα καὶ τὰς φρένας προσίζῃ. Veriffimum quoque apparet id, quod plures obferuarunt *k)*, inflammationem partium cranio comprehenfarum ab HIPPOCRATE fphacelum appellatam effe. Hic enim vbi hunc a fe dictum fphacelum encephali defcribit *l)*, nullius delirii mentionem injicit; fed

f) *Coac. praen. n.* 258.

g) *Prognoft. n.* 31. FOES. *p.* 38.

h) *De morb. vulg. lib. IV. pag.* 1137.

i) *De affect. p.* 518. vel C. X. *edit.* LIND. *P.* II. *p.* 167.

k) IO. GVIL. AGRICOLA in *comm. Nor. A.* 1736. *hebd.* 41. *p.* 322. et M. ETTMVLLERVS *opp. T.* II. *P.* I. *p.* 586. et SAVVAGES *nofologia methodica T.* II. *P.* I. *p.* 477. *Amftel.* 1763.

l) *Edit.* LIND. *L. de morb.* III. *T.* II. *p.* 98. L. II. *p.* 39. Et p. 96. agit de οἰδήματε ὑπὸ φλεγμασίης, delirio quoque non memo-

ſed, quod forte incidenter notaſſe operae pretium fuerit, intumeſcentiam externorum capitis vt morbi ſignum adducit *m*); quem capitis tumorem etiam PAVLVS AEGINETA et AETIVS illo in morbo commemorarunt, cui nomen inflammationis cerebri tribuerunt. Cum quibus pulchre omnino conuenire videtur, ſingularis illa et permagna capitis intumeſcentia, quam cel. PRINGLIVS *n*) in ſex aegris febre maligna contagioſa laborantibus annotauit, et quorum vnus poſt mortem in parte anteriori hemiſphaerii dextri cerebri abſceſſum ad magnitudinem oui exhibuit, quinque autem reliqui ſanitati redditi ſunt. Etiam illi veterum encephali ſphaceliſmo ſimillimum plane morbum, qui ſingulis fere annis Aegypti populos diuexet, PROSPER ALPINVS deſcribit *o*). Ex hiſce quidem diagnoſin cerebri inflammati, ceterum adhuc valde obſcuram, nonnihil illuſtrari exiſtimo; ſed maxime tamen iſta confirmare videntur, HIPPOCRATEM inflammationem indeque oriundam ſuppurationem encephali a phrenitide probe ſejunxiſſe.

memorato. Conferri de Sphaceliſmo cerebri poterunt *aphor.* L. *Sect.* VII. *coac. n.* 187. De hujus vocis varia apud veteres vſitata, et ab illa recentiorum diuerſa ſignificatione conferri meretur FOESII *oecon.* HIPP. ſub voce σφάκελος.

m) *L. de morb.* III. *Lind. T.* II. *p.* 98.

n) *lib. cit. p.* 288. *et* 289.

o) *De medic. method.* L. VI. C. VI. *p.* 395.

§. XIV.

Minime firmiori talo nititur eorum sententia, qui et ratione inflammati septi transuersi, quam paraphrenitidis esse causam credunt, suas in partes HIPPOCRATEM trahere cupiunt. Quamuis enim quidam interpretes latini in locis paulo ante allegatis vocabulum φρένες per septum transuersum exprimendum esse judicauerint, attamen praeter necessitatem et minus apte hoc factum esse, ex iis liquere existimo, quae ad §. VI. de veriori vocis illius apud vetustissimos vsitata significatione proposui. Praeterea, vt in aliis multis ejus dictis huc referendis, ita inprimis in eo, quo descriptae ex instituto phrenitidi causae mentionem subjunxerat *a*), sinistram esse illam versionem ex ipso sermonis nexu manifeste apparet; in tota enim hac succincta phrenitidis historia HIPPOCRATES praecipue ad hypochondria respicit. Non minus temere ad aliud effatum *b*) COI nostri prouocare videntur, qui paraphrenitidem a septi transuersi inflammatione nasci eandemque HIPPOCRATI sic fuisse cognitam tradunt, quoniam ibi phrenitides proponuntur ex aliis morbis ortae, maxime acutae, quarumque symptomata similia dicuntur illis peripneumoniae, et in quibus αἱ φρένες ita dolerent, vt ne se attingi quidem sinant. Quod vero haecce vox neque hoc in loco pro diaphragmate haberi possit, vel inde constare existimo, quia ad

a) *Lib. de affection. C. X.* LIND. *P.* II. *p.* 167.

b) *Lib.* III. C. IX. *edit.* LIND. *P.* II. *p.* 101.

ad curationem hujus affectionis HIPPOCRATES praesertim vomitoria et purgantia conuenire affirmat, eademque remedia ad morborum id genus etiam recentior obseruatio quam maxime rata habet, quae tamen ad septi transuersi inflammationem nihil sane valerent, sed non sine noxae grauioris periculo adhiberentur. GALENVM equidem indubiis verbis, vti et AEGINETAM, phrenitidis alicujus, vel grauioris παραφροσύνης ad phrenitidem accedentis, meminisse constat, quam a septo transuerso inflammato, originem ducere perhibuerunt. Sed hac ipsa quoque veterum quorundam doctrina veritatem confirmari puto asserti, quod optimus et πρακτικότατος vir, veterum in lectione versatissimus HVXHAMVS proposuit c): *a* GALENI *temporibus, et profecto longe antea, vanae hypotheses, nouitatis cupido, methodi et sectae medicinae, saepius ejus professores ad deuia duxerunt; et ipsis vt errores committerent, occasionem dederunt.* Id vero maxime memorabile est, ALEXANDRVM jam TRALLIANVM hancce quorundam opinionem diserte improbasse d), dum: *nonnulli*, ait, *phreniticos ob septi transuersi inflammationem* (ἐπὶ φλεγμονῇ τοῦ διαφράγματος) *fieri existimarunt; quod verum non est.* Et sine dubio magni ponderis est illa conjectura magni HVXHAMI e), quod ipsa septi transuersi inflammatio ab HIPPOCRATE νωτιὰς siue πλευρῖτις ἐν νώτῳ vocetur. Dorsalem enim illum morbum

c) *Oper. T. II. p. 6. edit. Lips.* 1764.
d) *lib. I. c. XII. edit. Basil.* 1556. *p.* 45.
e) *Oper. T. I. p.* 336. 337.

bum *f*) ita describit: *rigor, febris, tussis et spirandi difficultas prehendit — dolor dorsum praecipue et inguina vexat:* pleuritidem vero dorsalem *g*) sic: *dorsum velut ex plaga dolor occupat, ingemiscit, confertim respirat — dolores vero acuti per spinam ad pectus et inguina perueniunt.* Ad minimum, si omnia perpendimus, morbus aliquis cum septi transuersi, forsitan quoque, vt HVXHAMVS etiam putat, mediastini inflammatione complicatus, videtur his sub nominibus intellectus esse; sed vtrobique delirium symptomaticum ne quidem nominatur, nedum instar characteris morbi, prout aliis in diaphragmatis inflammatione describenda ex vsu est, proponitur. Praeterea ad inflammationem diaphragmatis quoque simul respexisse et a deliriorum indiciis illam bene sejunxisse HIPPOCRATEM ex alio loco *h*) videtur elucescere, vbi ait: *spiritus frequens, dolorem aut inflammationem in locis supra praecordia* (φλεγμονὴν ἐν τοῖσιν ὑπὲρ τῶν φρενῶν χορίοισι) *indicat; qui vero magnus inspiratur et ex magno interuallo, delirium significat.*

§. XV.

Si qua valet e symptomatibus ad partem in corpore affectam argumentatio, tunc valde probabile est, sedem vitii, quod phrenitidem aeque ac paraphrenitidem efficit, nisi semper, saepissime tamen,

vel

f) *lib.* II. *de morb.* FOES. *p.* 481. *Sect.* LIV. *p.* 81. *edit.* LIND.
g) *lib.* III. *de morb. p.* 491. *Sect.* XXI. LIND.
h) *Prognost. text.* 17. *p.* 38.

vel magna ſaltim ex parte, in praecordiis viſceribusque hypochondriacis latere. Hujus enim regionis vitia vere ſubeſſe, vbi tumores, dolores, pulſationes, tenſiones, duritiesque percipi ſolent, et vnde functiones viſcerum deprauatae, ac alienae faecum indoles praecipue, ſi non vnice, deriuandae ſunt, nemo facile dubitauerit. Etiam ſimilitudo, quae hunc morbum, aliasque malignas febres, intercedit, quae ab affectis praecordiis magnam partem ortum habent, quoad mitiorem febris genium, lotium tenue, turbidum, aut coctionem ſimulans, tenues partium ſuperiorum ſudores *a*), catarrhorum varia ſimulacra, narium nempe ſtillicidia *b*), et grauitatis in iisdem ſenſus *c*), oculi hebetes et illacrymantes, ſimilem phrenitidis harumque febrium originem declarant. Ex hiſce varia, vt et ſenſibilitas inſolita et ſputatio frequens, quae ad phrenitidis indicia pertinent, aliis etiam in affectionibus neruoſi ſyſtematis, ex imo ventre oriundis, in mania et melancholia, in hypochondriaco et hyſterico malo, vbi haec jam adoleuerint, non raro quidem obſeruabilia, haud infirmum quoque praebent analogiae originis argumentum. Si his addimus, quam vehementia ſaepe deliria in acutarum febrium acceſſionibus, a ſordibus circa praecordia cumulatis oriantur, quae et his excuſſis breui, et confeſtim aliquando, vel maxime imminuantur, vel plane quo-

que

a) HIPP. *praedict.* 27.

b) *Praedict.* 1.

c) *Praedict.* 18.

que tollantur, a vero longe abeffe non poterit, phrenitica etiam et paraphrenitica deliria ex iisdem vel fimilibus ad praecordia natalibus proficifci, fiquidem vtraque perfaepe non nifi gradu et pertinacia ab iftis febricitantium deliriis breuibus et fugacibus differre videantur. Memorabile afferti hujus teftimonium exhibet perill. van SWIETEN *d*) dum, *monitus*, ait, *ab optimo praeceptore, frequentem fatis delirii in febribus caufam effe fordes circa praecordia collectas, poftea attentus huic rei, vidi faepius hoc veriffimum effe, et vnico vomitorio dato, excuffa hac faburra, recordor plures ilico refipuiffe.* Nec vllus fere morbus eft, laefas mentis functiones conjunctas habens, qui non frequentius ex remotis, et potiffimum praecordiorum fedibus, quam ex encephali vitiis in fcenam prodiret; quod, cum de apoplexia, catalepfi, epilepfia, cephalalgia, pauloque ante nominatis hyftericis et hypochondriacis paffionibus, deliriisque chronicis, fufficienter et fat multis valdeque mirandis exemplis comprobatum legatur, non eft quod de his plura proferam. Et quis praeterea facile crediderit, truculentas illas intermittentium febrium fpecies, quae apoplecticarum et foporofarum nomine diftinguuntur, ex vitio capitis idiopathico fcaturire? quum aduerfus hafce tanta cortici peruuiano tamque certa juuandi virtus infit, et ipfum earundem ingenium, illarumque cauffae et figna, ab illuftri inprimis atque omni laude noftra majori

d) *Comm. ad aph.* BOERH. §. 701. *T.* II. *p.* 327. *edit. Lugd.*

maiori immortali WERLHOFIO quam accuratiſſime deſcripta *e*), praecordia ſic laborantibus praecipue maximeque affecta eſſe clare demonſtrent. Quantam denique efficaciam ad perturbandas ipſius cerebri functiones aliquando exſerant validiora medicamenta, variaque venena, modo in ventriculum delata, quum et his inde rejectis ſtatim ſubinde omnia illa mala ceſſare ſoleant, pluribus omnino conſtitit obſeruatis. Memoratu dignum hac de re eſt magni BOERHAAVII effatum *f*): *quamprimum vomuerint homines, ab aſſumto veneno delirantes et conuulſi, ſolent ſenſim ad ſe redire, nam malum in ventriculo eſt, licet phaenomena videantur capitis morbum indicare.* His autem probe perpenſis et cum ſymptomatibus noſtrorum morborum comparatis, non poteſt improbabile videri, quin phreniticum aeque ac paraphreniticum delirium quoad magnam partem, ſi non vnice, ex praecordiis male affectis oboriatur. Sed nunc etiam hocce cum afferto conferamus quae cadauerum e ſectionibus certius innotuerunt, atque praeſertim, vtrum idiopathiae an vero ſympathiae potius faueant, attendamus.

§. XVI.

e) Vid. cedro dignißimarum *obſeru. de febr. Sect.* I. § VI-VIII. cf. *Sect.* VI. §. V. conferri praeſertim quoque meretur FRID. CAS. MEDICI *Samml. von Beobacht. I. Band. p.* 105. *et ſeqq.*

f) *Praelect. in inſtit. ex edit. perill.* HALLERI *T. VI. p.* 388. Conferri quoque poterit WEPFER *de cicut. aquat. p.* 194. et alibi paſſim. Cel. TRALLES *vſus opii ſalubris S. I. p.* 168. Maxime memorabilis etiam eſt obſeruatio, quam habet WILLIS. *de anim. br. C. X. p.* 255. de puella, quae a pharmaco emetico aſſumto, donec operaretur, conſtanter delirare ſolebat.

§. XVI.

Inflammationem aliquam in cerebri cortice, in meningibus, aliaque varia encephali vitia, pustulas, vasa piae duraeque matris et plexus choroidei a sanguine etiam crassiori et polyposo solito magis distenta, abscessus etiam, serum in ventriculis collectum, meningum ariditatem et siderationem, tenuem gelatinam intra meninges haerentem, in phreniticorum cadaueribus reperta esse, in dubium equidem nemo facile vocauerit, qui a BONETO *a*) atque MORGAGNO *b*) collectas obseruationes et ab aliis quoque expositas *c*) perlustrauerit. Vtcunque vero haec sese habeant, notasse tamen omnino quoque juuabit nihil constantiae, praesertim quoad inflammationem in obseruatis deprehendi. Ita enim BARTH. de MOOR *d*) inquit: *inflammationem membranarum cerebri semper adesse, vbi adest phrenitis, a veritate alienum mihi videtur. Saepenumero in intestinis tenuibus post mortem obseruatur inflammatio, inflammatio meningum rarius occurrit, saltem quantum mihi videre licuit.* Sed multum quoque abest, quin ipsum cerebrum

a) v. *Sepulchr. anat. T.* I. *L.* I. *Sect.* VII. *obs.* II. VII. IX. XI. XII. XIV. XVI - XXIV, cet.

b) *De Sedibus et caussis morb. per anat. indag. L. I. epist. VII.*

c) Memorabilem ipsius BOERHAAVII obseruationem habet van SWIETEN *Comment. T.* II. *ad* §. 775. *p.* 604. Ceterum conferri poterunt BLANCARDI *anat. pract. obs.* III. SCHENKII *obs.* CVII. *Memoires de l'acad. des sc. de Paris* 1706. *p.* 662. 663. *Misc. N. C. Dec.* II. *A. V. obs.* LXII.

d) *Patholog. cerebri c.* IV. *p.* 106.

brum in phrenitide ſemper inflammatum repertum fuerit. Retulit I. RHODIVS *e*) FABR. BARTOLETVM virum diligentem atque ingenuum ſibi faſſum eſſe, quod in plurimis phreniticorum cadaueribus inuenerit piam matrem ſine omni cerebri noxa inflammatam. Complures praeterea in BONETI ſepulchretum receptae obſeruationes *f*) quam clariſſime teſtantur, neque meningum neque ipſius cerebri inflammationem in phreniticorum corporibus repertam fuiſſe. Ita HEVRNIVS ibidem *g*) poſtquam phreniticum a fatis ſecuerat, fatetur: *nec vllum vnquam phlegmones veſtigium deprehendere potui; ſcilicet*, vti BONETVS ſubjungit, *in cerebro et membranis.* Neque illa COITERI ibidem *h*) reperiunda experientia, quam inprimis, quippe ab egregio Anatomico profectam, attendi jubet ſummus MORGAGNVS *i*), ſilentio hic eſt praetermittenda. Sic vero ille cum caput phrenitici aperuiſſet: *nullam nec in membranis nec in cerebri ſubſtantia deprehendere quiui inflammationem.* Quibus nunc addendae ſunt iſtae phreniticorum hiſtoriae, quas ex VALSALVA ipſe MORGAGNVS recenſet *k*). Inuenit autem Vir magnus quatuor in ſcriptis praeceptoris hiſtorias phrenitide mortuorum atque

e) *Cent.* I. *obſ. med.* 40.

f) L. I. *Sect.* VII. *e. gr. obſ.* 13. 14. 16.

g) *Obſ.* 13.

h) *Obſ.* 16.

i) Lib. cit. *epiſt.* VII. *art.* 8.

k) Ibid. *art.* 2. 4. 6.

atque diffectorum, quorum in tribus, quemadmodum fubmonet *l*), *nulla in meningibus inflammatio, nullaque vaforum diftentio* fuit reperta. Dein etiam aduerfus Henr. Meibomii Anatomici praeftantiffimi thefin *m*) *in phrenitide ipfa cerebri fubftantia non inflammatur*, regerit quidem: *ego vero aliquando inflammari non nego*, fed addit quoque, *tot illas tamen (obferuationes) diffimulare non potero, in quibus nulla vsquam in cerebro reperta eft inflammatio n*). Quam parum quoque Brendelivs inflammationi encephali aut meningum in explicanda phrenitidis origine tribuerit, ex compluribus ejus affertis clariffime patet, quae inter et fequentia notatu digna *o*): *pluries opinatis, poft tanta deliria grauiffimam confpectum iri meningum cerebrique inflammationem, nil fefe obtulit, nifi permodica plexus choroidis et vaforum venoforum plenitudo, et feri inventriculis anterioribus collecti non plus, quam alias poft acutas, malignas potiffimum.*

§. XVII.

Quemadmodum ex his fatis fuperque conftat in phrenitide frequenter encephalum ab omni labe inflammatoria immune reperiri, fic quoque innumerae apud Bonetvm, Morgagnvm aliosque leguntur obferuationes, vbi in cephalalgia, apoplexia, affectibus foporofis et conuulfiuis, immo quibusuis

busuis

l) Ibid. *art.* 3.

m) *Coroll.* 4. *in calce exercit. de obferu. rarior.*

n) MORG. l. c. *epift. VII. art.* 8.

o) *Diff. de phrenit.* laud. §. *vlt.*

busuis fere aliis morbis, inflammatio cerebri aut meningum ejus, citra vllum in vita praegressum delirium, dissectoribus, contra vulgarem sententiam, apparuit. WILLISIVS *a*), quo neminem forte plures caluarias secuisse, perill. van SWIETEN *b*) existimat, ingenue, et ex primis forte, fatetur: *in dissectionibus anatomicis saepius vidi meninges, immo nonnunquam et cerebri exteriorem ambitum tumore phlegmonode obsessas, atque laborantes minime phrenesi, verum e contra corpore affecti a caro aliisue morbis soporosis interibant.* Quam quoque obseruationem confirmat assertum P. BARBETTE *c*), *nobis etiam*, inquientis, *cum* WILLISIO, *aliquando ex anatomica demonstratione aliud, quam quod vulgo creditur, constitit, inflammatio scilicet meningum sine phrenitide visa est, vt et phrenitis sine inflammatione.* Et ne quis credat distentionem vasorum cerebri in his aliisque plane diuersi genii morbis minorem aliusque indolis fuisse, quam ad inflammationem requireretur, vnicam saltem ex tam multis notabilem cel. MORGAGNI obseruationem *d*) hic apponam. Mulier videlicet pulmonum infarctu laborare credita, *nullo delirio, nulla soporosa affectione tentata*, demum obiit. *Cerebrum si quod vnquam aliud, vasa omnia ostendit, quae per tenuem meningem discurrunt, sanguine turgida; et sanguinis mul-*

 tum

a) *De anim. brut. P. II. C. X. p. 257.* v. et BONETI *sepulchr. anat. L. I. S. VII. obs. I.*

b) *Comment.* §. 1076.

c) *Prax. med.* C. VII.

d) *Libr. alleg. Epist. XV. art.* 8.

tum in iis etiam fuit, quae per medullarem trajiciuntur ſubſtantiam. Et quoniam cerebri ſuppuratio non facile quidem ſine aliqua praegreſſa inflammatione accidere poteſt, omnino hic etiam nominandi ſunt illi abſceſſus, quos ſolertiſſimus PRINGLIVS *e*) tam ſaepe in cerebris atque cerebellis hominum febre maligna demortuorum praeter omnem exſpectationem deprehendit, cum hi modo aegri ſtupore aliquo, ſenſuumque hebetudine, detenti fuerint, nunquam vero delirarint, atque mentis et ſenſuum, integrum per morbum, fere ad ejus vsque finem, ita compotes manſerint, vt interrogati ſemper prudentem reſponſionem exhibuerint. Sed praeter haec, vt ſatis notum et fere peruulgatum, ita validiſſimum etiam argumentum, ſententiam de phrenitidis origine plerumque receptam quam maxime infringens, praebent vulnera capitis diuerſae indolis, variaque ad loca, ſaepe cum ſtupenda et cerebri et membranarum ejus ſuppuratione, verum tamen nullo cum delirio, aliquando neque cum aliis vllis laeſis functionibus animalibus conjunctis obſeruata, quorum valde memorabilia exempla penes HILDANVM, BONETVM, MORGAGNVM, PLATNERVM, SWIETENIVM, collecta, alibique paſſim relata *f*) inueniuntur.

§. XVIII.

e) l. c. p. 287. et ſeq.

f) v. ill. TREW *Nachricht von einer raren Hauptvvunde. Nürnberg* 1724. et cl. ZACH. VOGELS *An. Chir. und Med. Beob.* p. 403 - 407. Lectu digniſſimae quoque ſunt variae, et noſtrum

§. XVIII.

Vt ergo nihil esse perpetui quoad encephali meningumque inflammationem, delirii phrenitici comitem habitam, quam manifestissime hinc elucescit, ita parem quoque esse rationem inflammati septi transuersi, pro causa paraphrenitidis tam saepe allegati, obseruationes complures euincunt. Etenim asseruit jam FERNELIVS *a*): *diaphragmatis vitia non alia symptomata infligunt, quam quae interiora thoracis obsidere diximus, atque iisdem signis praeterquam doloris situ se produnt. Tumores duros diaphragmatis radici infixos nonnunquam deprehendi, qui sensim tabe laborantes consumserunt, citra vllam delirii speciem.* Sic etiam WILLISIVS duplicem experientiam habet *b*) in quarum altera abscessum magnum diaphragmatis cum cysti sanie et vesiculis aquosis impleta reperit, nec tamen aegra vnquam delirio tentari solebat. Alterum vero exemplum sic describit; materia empyematis *diaphragma substratum corrodens, ingens in eo foramen excuderat; nec tamen laborans in tota aegritudine sua phreniticus aut anima delirans fuit;* hinc addit,

strum assertum quam maxime confirmantes obseruationes propositae in ELLERS *phys. chym. med. Abhandl. aus den Gedenkschriften der Ac. der Wiss. zu Berlin. p.* 84. et seqq. TVLPIVS etiam summe memorabilem habet obs. L. IV. C. I. vti quoque I. I. WEPFER *Hist. apoplecticor. Amstel.* 1724. *p.* 205. et seqq. vid. etiam ejusd. *Obss. de affectibus capit. n.* 16. 17. Complura exempla habet cl. QVESNAY in *Mem. de l'acad. R. de Chir. T.* I. *p.* 310.

a) *Vniuersa medic. Geneu.* 1679. *p.* 465.

b) *De anima brutor. P.* II. *c.* X. *p.* 257.

dit, *quapropter hunc affectum vix vnquam a tali cauſa produci arbitror.* Neque deſunt apud Bonetvm et Morgagnvm *c*) varia alia diaphragmatis inflammati exempla, in quibus mens ad finem vsque vitae probe ſibi conſtitit; iidemque multa quoque commemorarunt ejusdem ſepti, et magna quidem, vulnera, quibus affecti pariter, etſi diu ſuperſtites manſerint, ſemper deliriorum immunes fuerunt. Notatu inprimis etiam dignae nobis videntur obſeruationes, durante bello hic locorum in pleuriticis gallici noſocomii a cl. Wendtio *d*) inſtitutae, qui quoties in cadaueribus illorum inciſis poſt mortem diaphragma inflammatum vidit, vidit autem ſaepius, toties in vita iidem ipſi aegri non delirauerant, cum tamen in aliis hoc ſymptoma nonnunquam magna cum vehementia deprehenſum fuerit. Nonnulli quidem, in quorum numero eſt R. G. Cravsivs *e*), cum quasdam ex recenſitis obſeruationibus nouerant, indeque negari non poſſe perſpexerant, aliquando ſeptum transuerſum citra vllam mentis deprauationem fuiſſe inflammatum, id potiſſimum vrſerunt, illas inflammationes partem diaphragmatis carno-

c) Lib. ſaepe laud. v. c. *Epiſt. X. n.* 13. *Ep. XXI. n.* 36. *Ep. XXXVI. n.* 4.

d) *Diſſ. ſiſtens obſſ. de pleuritide et peripn. p.* 20. *Sect.* I. II. V. X. *Gott.* 1762. Conferri quoque meretur hiſtoria inflammati ſepti transſu. cui perpauca deliria acceſſerunt, etſi grauiſſimus et lethalis morbus fuerit, ſanguinisque miſſionem ad vncias fere centum intra quatriduum judice HVXHAMO poſtulauerit, in *Opp.* ejus T. I. *p.* 301. ſqq.

e) *Diſſ. de phrenitide Ien.* 1689. *p.* 8.

carnoſam ſaltem occupaſſe, non vero tendineam attigiſſe expanſionem, quae et illorum quibusdam neruoſa audit; atque hanc vnice inflammatam ad efficiendam paraphrenitidem aptam exiſtimarunt. Verum, quod facile apparet ipſique etiam haud reticuerunt, hoc effugium propter illam tantum veterum ſententiam arreptum eſt, quaſi tendines naturam neruorum haberent, aut ſaltem pluribus neruis inſtructi exquiſitiſſimi ſenſus eſſent, vnde inflammatio diaphragmatis in centro tendineo nata magis quam in parte muſculoſa ſpiritus commoueret. Quum vero hanc antiquorum de tendinibus et aponeuroſibus doctrinam jam in primis perill. de HALLER ſat multis experimentis euerterit *f*), ipſamque diaphragmatis aponeuroſin inſenſilem nec irritabilem deprehenderit *g*), intelligi ſatis poteſt, omni fundamento illud aſſertum deſtitui. Quid multa? ipſa etiam cadauerum inciſio eidem plane refragatur. Cel. enim MORGAGNVS *h*) cum obſeruationum FERNELII et WILLJSII meminerat, haec ſubjungit: *quin etiam cum eorum neuter inflammationem diſerte memoret ejus praeſertim ſepti partis, quam vnam maxime attendunt, qui delirium ab diaphragmatis inflammatione repetunt, tendinei videlicet ejus centri, ſed vterque carnoſae partis vitia proferat: conſpexi ego tendineam quoque ejus partem inflammatam, cum vix con-*

f) *Comment. Soc. R. Sc. Gotting. T.* II. *p.* 118. et *elem. Phyſiol. T.* IV. *p.* 273-285.

g) *Mem.* II. *ſur les part. ſenſibles et irritables exp.* 10. *p.* 119.

h) l. c. *Epiſt.* VII. *n.* 14.

fusa et subdelira morbi extremo tempore mens fuisset. In mortuo ex variolis confluentibus Principe, qui nullo per huncce morbum delirio paraphrenitico affectus fuerat, repertam inter alia inflammationem sphacelumque in tendinea diaphragmatis parte bene describit CASP. GVIL. BEVSSER, indeque merito concludit vel paraphrenitidem per inflammationem diaphragmatis male definiri vel illam non semper cum delirio esse junctam *i*). Et ill. de HAEN exemplum refert hominis, die febris acutae quinto, pleuritidis saeuae altero mortui, cujus *diaphragma tum in musculosa sua parte multa, tum in tendinea vniuersa* tam vehementer inflammatum reperit, vt injectoria arte reddi non potuerit rubicundius; quem tamen hominem *non in morbo nec nisi sub mortem delirasse*, nec risum sardonium habuisse — neque conuulsiones passum, nec furores esse, asseuerat *k*).

§. XIX.

Quum igitur non semper in phrenitide inflammatio cerebri aut meningum ejus reperta sit, et vicissim tum encephalum tum diaphragma, neque excepta tendinea ejus parte, sine vllo delirio, vel memorabili saltem inflammata fuerint: tuto vtique colligere licebit, neque causam phrenitidis in inflammatione membranarum aut substantiae cerebri con-

i) *Diss. sist. historiam morbi et sect. cadau. variolis confl. defuncti. Heidelb.* 1731. *in perill. de* HALLER *Collect. diss. med. pract. T. V. p.* 580. *et* 582.

k) *Rat. med. Part.* IX. C. I. §. V. *et* C. II. §. VII.

consistere, neque paraphrenitidem ab inflammato septo transuerso suum habere ortum. *Enim vero*, vti verissime ait Glissonivs *a*), *sciendum est*, *quidquid non perpetuo adest in corporibus apertis eodem morbo extinctis*, *ad primam id*, *intimamque ejus essentiam spectare non posse*, *vti etiam neque illud*, *quod in variis corporibus reperitur*, *quibus morbus abest. Neque enim morbus ipse existere potest separatus a sua essentia*, *neque essentia a morbo.* Hinc omnino laudandus Bonetvs *b*) quod hanc thesin jam proposuerit, nimis saepe, vt palam est, ab auctoribus praeteruisam: *phrenitidis causam*, *si modo vnquam*, *non semper tamen meningum aut cerebri esse inflammationem.* Et licet sub phreniticorum caluariis, aliquando gelatinae species intra vtrasque membranas expansa, aut substantiam cerebri corticalem obducens annotata fuerit; vel serum pellucidum, aut flauum, aut caeruleum, aut sero vaccini lactis aemulum, aut loturam carnis referens, intra meninges, aut sub pia quoque, aut etiam in ventriculis fluctuauerit; vel cerebrum, aut cerebellum justo mollius deprehensum sit; vel polyposae concretiones ex sinubus, aut etiam vasis majoribus extrahi potuerint: tamen nec vllum ex his, nec aliis etiam encephali vitiis se perpetuo in phreniticorum cadaueribus manifestauit, neque in reliquis morbis omnino defuit; vt ideo inde quoque causa phrenitidis repeti nullo modo queat.

a) *Tr. de rachitide. Lugd. Bat.* 1711. *p.* 9.
b) *Sepulchr. Lib. I. Sect. VII.* in fine.

§. XX.

Paraphrenitidi aliam praeterea causam assignatam in commercio litterario Norimbergensi *a*) reperio, quae vero aeque minus admittenda videtur, ac inflammatio diaphragmatis, ibi etiam recte, vt video, rejecta. Ibidem nempe Io. Gvil. Agricola paraphrenitidis naturam per inflammationem pericardii et mediastini exponere conatus est. Sed, licet experientiae suae crebrae, qua hoc fulcire assertum videtur, nihil detrahere velim, quod tamen ex Hippocratico dicto *b*) deduxit sententiae suae argumentum minus firmum apparet. Superius (§. XIV.) enim, vbi idem Coi pronunciatum allegaui, jamiam quod manifestum est submonui, Hippocratem inibi delirium probe ab inflammatione in locis ὑπὲρ τῶν φρενῶν distinxisse, siue nunc hoc nomine simul septum transuersum, siue integrum modo thoracem cum pericardio et mediastino intelligi voluerit. Deinde plures etiam Bonetvs *c*) obseruationes collegit, quibus pericardium et mediastinum post mortem inflammata comparuerunt, in vita autem delirium non solum paraphreniticum, sed in vniuersum omne defuit. Accedit, quod Petr. Salivs Diversvs, qui saepius illum morbum obseruauit, et ob singulares causas diligentius ad ejus

a) *A.* 1736. *hebd.* 41. *n.* *I.*

b) *Prognostic. text.* 17. *p.* 38.

c) *In Sepulchr. v. gr. lib.* II. *Sect.* I. *obs.* 125; *et Sect.* IV. *obs.* 27. 29. 30. *et Sect.* VI. *obs.* 15.

ejus naturam attentus, pulchre descripsit *d*), expressa haec verba habet ad discernendam inflammationem mediastini a septo transuerso inflammato: *ab hoc enim necessario*, inquit pro vulgari istius nostraeque adhuc aetatis sententia, *mens laeditur*, *quod in illius inflammatione contingere non consueuit.*

§. XXI.

Quo vero nunc et ipsi nostram sententiam de partibus corporis, vnde hi morbi oriantur, affectis apertius declaremus, profiteri non dubitamus, exposita ob argumenta, quae tum symptomata, tum quoque cadauerum incisiones praebuerunt, nobis verisimillimum videri, sedem phrenitidis aeque ac paraphrenitidis praecipue vel vnice in praecordiis haerere, indeque deliria ex consensu nasci. Afferto huic etiam illa bene respondent, quae ex recentioribus cl. Rvckervs de his morbis exposuit *a*), qui id ipsum quoque probe notauit, non ideo phrenitidi aliam quam paraphrenitidi sedem esse tribuendam, quod non aeque semper phrenitici anxietatem praecordiorum et sensibiliorem circa haec loca dolorem, ac paraphrenitici conquerantur, siquidem ea tamen ipsa similiter in principio phrenitidis vere adsint, dum adhuc sibi mens constat. Praesertim vero, quum, secundum hactenus cognita,

neque

d) *Lib. de febre pestilenti et curationibus quorund. particular. morbor. Amstel.* 1681. *p.* 252.

a) *Comm. Nor. A.* 1736. *hebd.* XXII. *n.* 2.

neque vitio capitis idiopathico phrenitidis origo tribui poſſit, neque paraphrenitis ex affectione diaphragmatis, aut pericardii, aut membranarum thoracem interſepientium, oriatur: vix vllum ſupereſſe illa in re dubium videtur, quod praecordia pro iſtorum morborum ſede primaria habenda ſint. Hinc vel ideo inprimis mihi probandus eſt, qui hanc ſententiam, vt antea indicaui, aperte jam fouit, diuinus HIPPOCRATES, *cujus cum dogmatibus*, quod ſecundum veritatem HVXHAMVM dicere *b*) exiſtimo, *omnem ſobriam veram et rationalem medicinae exercitationem ſemper conſentaneam fuiſſe fatendum eſt.* Quodſi vero exponendum, qualenam vitium illud ſit, quod praecordiis inhaereat, et quemnam id ipſum ſequatur agendi modum, cum morbos hoſce truculentos excitat: maxime vereor ne omni exceptione majora prolaturus ſim. Non difficile quidem foret ingentem hoc loco cumulum obſeruationum ſaepe laudatis ex BONETI et MORGAGNI operibus, ac aliorum e ſcriptis afferre, quae doceant inflammationes, abſceſſus, corruptiones putridas, facies diſcolores, praeſertim liuidas, aliaque vitia viſcerum, quae venae portarum ſyſtema complectuntur, in primis quidem hepatis, dein etiam ventriculi, duodeni aliorumque inteſtinorum tenuium, et coli quoque, neque minus pancreatis, meſocoli atque meſenterii, praetereaque humorum alienorum et varie corruptorum colluuies primis in viis

b) *Opp. T. II. p. 6.*

viis collectas, bilisque in cystide mutatas indoles, dissectis in cadaueribus phreniticorum aut paraphreniticorum inuentas esse; sed ne nimis ea de re prolixus euadam, quam suis ex fontibus facile quisque hauserit, sufficiat modo Brendelii testimonium allegasse de affecta in phreniticis parte asserentis: *inflammationes cerebri et meningum siquidem quales accusantur, conspectae vsquam fuerint, multo esse rariores vitiis viscerum imi ventris, qualia fere in malignis obseruantur febribus c).* Verum an non etiam ejusmodi exempla his opponi possent, vbi talia imi ventris viscerum vitia plane non commemorata leguntur, id nullo quidem modo inficiabor; pro certo tamen quoque habeo, quod similia praecordiorum vitia frequentius reperta fuissent, nisi permulti profectores causam illarum affectionum in solo capite, vel in diaphragmate quoque, esse quaerendam existimassent. Forsan causa phrenitidis ac paraphrenitidis neque ea semper est, cujus post mortem vestigia in deprauato solidorum colore, forma et vniuerso habitu expressa videntur, quamuis durante morbo eam praecordia obsedisse symptomata manifestissime declarauerint. Verosimile mihi est, praestantissimum Morgagnvm ejusmodi quid subintellexisse, cum, postquam phreniticorum historias e praeceptore reddidit, hoc modo effatur *d*): „ne mireris vnico excepto in reliquis de

„qui-

c) *Diss. de phrenitide laud.* §. *vlt.*

d) *Lib. cit. Epist.* VII, *n.* 8.

„quibus dictum eft delirantibus VALSALVAM diften-„ta cerebri vafa non vidiffe; relege omnia deliran-„tium exempla, quae ex illo retuli; nam et *deli-„rium ex iis affectionibus eft*, *quae* tametfi *interdum*, „*vel a grauioribus aliis feiunctae*, *poffint occidere*, „faepius tamen cum aliis copulantur; nullum repe-„ries in quo diftentionem vaforum cerebri animad-„uerterit.„ In genere vero id magna cum probabilitate afferi poffe exiftimo, fordes primarum viarum, varieque alienatos et corruptos humores in vifceribus hypochondriacis retentos et collectos, fpasmorum et ipfarum fanguinis ad caput congeftionum in phrenitide ac paraphrenitide obferuabilium caufam effe, fpafticoque inprimis modo deliria hinc excitari; haec omnia confirmante, quam dein paucis attingam, probatiore illis medendi methodo. Quod autem ipfi etiam delirio phrenitico fpasmodici quid infit, multae certe rationes vt ftatuamus nobis perfuadent. HIPPOCRATES enim quam frequentiffime, cum phrenitidis mentionem injicit, fpasmodicas quoque conjunctas affectiones memorat, praetereaque conuulfionum grauiorum peculiarem in hoc morbo metum effe affeuerat. Et ARETAEVS *non minime*, ait, *inter ceteros aegrotantes phrenitici neruis laborant*, *facile enim conuelluntur e*). Quam in hyftericis quoque hypochondriacisque paffionibus deliriorum et fpasmorum varia genera infignem inter fe alant cognationem, et

quam

e) *De curat. morb. ac* Lib. I. *c.* 1. *edit.* BOERH. *p.* 73.

quam saepe altera vicibus alternis in altera transmutentur, ex incomparabili praesertim SYDENHAMO f) edisci poterit: quorsum et illud WILLISII g) pertinet, quando inquit: *pariter in colica atroci obseruaui interdum immanes circa viscera aut lumbos cruciatus mox in delirium cessisse, deinde paulo postea hoc cessante, tormina rediisse.* Memoratu digna quoque est, quae apud BONETVM h) prostat, obseruatio HERCVLIS SAXONIAE, qui adolescentem vidit phrenitide laborantem singulis diebus ac noctibus plus quam trigesies capi epilepsia, qua desinente statim redibat phrenitis. Si his addimus egregium illum successum, quem SYDENHAMVS i) a narcoticis opportune adhibitis tam saepe in phrenitide expertus est; tunc omnino recte BRENDELIVM dixisse k) puto: *ipsa deliria minus habere videntur causae in cerebro inflammatoriae, quam iisdem natalibus (putrefactae bilis corruptelis) spasmodicae: si vel attendamus ad prodromos deliriorum spasmodicos, et tremores, verissimo* HIPPOCRATIS l) *monito, deliriis accedentibus tantisper cessantes.* Idque ipsum vlterius quoque et maxime omnino per obseruatum haud raro exiguum a sanguinis missione leuamen confirmatur, quum ARETAEVS praecipiat: *venae incisor ne multum sanguinis detra-*

f) *Diss. epistol. de affectione hysterica.*
g) *De anim. brut.* P. II. c. X. p. 255.
h) *Sepulchr.* L. I. S. VII. *obs.* 5.
i) *Opuscul.* p. 37. *et seq. Amstel.* 1683.
k) *Diss. de seriori vsu euacuantium* §. VI.
l) *Coac.* 132. FOES. p. 136.

detrahat, licet a principio fecet, phreniticis namque malum eft in fyncopen facile mutabile m).

§. XXII.

Huic noftrae phrenitidum theoriae aptius respondere plurima praeclaris ab auctoribus accuratius obferuata, nobis equidem veri videtur fimillimum, quorum et aliqua memorabiliora fuperaddere operae forte pretium exiftimo. Digniffimum notatu eft, quod cel. PRINGLIVS *a*) ex frequentiffimarum certe, quas de febre maligna exercituum habuit, obferuationum exquifita fylloge, confectarium deduxit: fummas duas, fibique inuicem contrarias, deliriorum iis in febribus caufas occurrere, calidorum nempe et cardiacorum, quod aiunt, remediorum abufum, et juxta hunc nimiam fanguinis miffionem. Prioris quidem caufae efficaciam quisque cum inflammatione alicubi nata facile conciliauerit, illam vero pofterioris difficultate fua vix aptius liberari exiftimamus, quam fi delirium fpasmodicae affectionis inftar confideretur, caufaque illud efficiens ab inflammatione longe diuerfa affumatur. Rem certam effe plurimorum etiam aliorum experientia et HIPPOCRATIS effatum edocent, *a fanguinis fluxu*, inquientis, *delirium, aut etiam conuulfio, malum b*). Etenim fi ad illud attendamus, quod

m) *De cur. morb. acut.* L. I. c. 1. *p.* 73. *edit.* BOERH.

a) Lib. cit. *p.* 279. *et* 308.

b) *Aphor. Sect. VII. n.* 9.

quod intempeſtiua venaeſectio vires vitae omniaque viſcera debilitando humorum depurationi aeque obſiſtat, ac medicina calefaciens, ſordes neceſſario eliminandas figens, easdemque adaugens, excretionem illarum ſalutarem impedit: tunc nemo non facilius intellexerit, ab vtraque cauſa vitia praecordiorum, varii licet generis, indeque deliria et furores ſubnaſci poſſe. Quodſi etiam cauſas varias procatarcticas, corporumque priuatas διαθέσεις, quae ſecundum obſeruata medicorum ad excitandas phrenitides aptae habentur, ſerio et accuratius contemplamur, ea videtur illarum eſſe poteſtas, vt potius in praecordia quam caput majorem ſuam exſerere vim valeant. Ita enim ſeſe rem habuiſſe veriſimillimum, vbi ex vigiliis, e ſpirituoſorum ingurgitatione potulentorum, et ex animi pathematibus, moerore, ira, terrore c) phrenitidem excitatam, eandemque corporibus ſiccis prae aliis infeſtam fuiſſe, obſeruarunt. Ipſum hocce aſſertum etiam locum habere poſſe exiſtimo, ſi ex ictu aut violentia externa capiti illata quisnam phreniticus euaſerit. Nam in vulneribus capitis manifeſte hypochondria affici probat vomitus bilis, immo bilis aeruginoſae, tam frequens iſtarum laeſionum ſymptoma, vt nec magnus HIPPOCRATES id ſuis

c) Notabilem et aſſertum noſtrum euidentius confirmantem phrenitidis et icteri ſimul ex terrore nati obſeruationem habet Cel. MORGAGNVS lib. ſaepe all. *epiſt.* XXVII. *art.* 4.

fuis inferere aphorismis dubitauerit; vbi ait *d*): *quibus perfectum fuerit cerebrum, iis febrem et bilis vomitionem fuccedere neceffe eft e*). Licet igitur omnino caput in ejusmodi ftatu, primam laefionis injuriam excipiat, tamen verofimile eft, quod inde primum vitia praecordiorum, et ex his demum deliria producantur. Neque vero hanc fententiam, poft tot alia hujus rei argumenta, ludentis ingenii fufpicionem injicere poffe metuo, cum neque alias rarum fit mutuum ejusmodi morborum ad commodum vel perniciem aegri tendens lugubre officium. Et mirum fane, eft quam faepe anatomici poft vulnera capitis abfceffus in hepate deprehenderint, quorum vix vlla in homine alias antea fano, et cum quoque multum puris ex capite jam effluxerit, fufpicio fuerat *f*). Quamuis etiam inficias ire nolimus, fubinde cum fepti transuerfi inflammatione delirium copulatum fuiffe; non difficulter tamen hoc phaenomenon, cum noftra, de caufa phrenitidum fententia, conciliari poterit. Quando enim diriffimus ille morbus, diaphragmatis inflammatio incidit, tunc miferi aegri folo coftarum motu refpirationem perficere conantur, quae tunc illis valde

d) *Sect. VI. n.* 50.

e) Conuenit quoque hac cum re quod SCVLTETVS notauit, omnes fere capite vulneratos de oris amarore conqueri, in *armament. chir. p.* 198.

f) Vid. modo BOHNII *libellus de lethal. vuln. p. m.* 201-204. et b. ROEDERERI *progr. de cerebri fcirrho Gott.* 1762. *epicr. n.* 4. *p.* 9.

de parua ſaltim atque breuis eſt conceſſa. Sed cum ideo et ſeptum transuerſum et qui antagoniſtarum munere funguntur muſculi abdominales fere quieſcant: patet, quantum inde progreſſus humorum naturalis per ventrem et ſyſtema praeſertim venae portarum vna cum ſolemni ſecretionum ſucceſſu laedi vndique debeat, et quam facile exinde ſtaſes humorum ſpontaneam ad corruptelam pronifſimorum, ipſis in hypochondriis contingere poſſint. Et quae in cadaueribus phreniticorum non nunquam deprehenſae fuerunt variae cerebri et meningum inflammationes ſeroſaeque colluuies, videntur in morbi vigore, praeſertimque ex valde oppreſſo pectore ac difficultate reſpirationis natae eſſe, ſoporisque cauſa fieri, ex quo plerique moriuntur.

§. XXIII.

Omnia haecce quam maxime confirmat ipſa medendi morbis hiſce ratio, quam nempe obſeruatio efficaciorem, magisque fauſtos ob ſucceſſus praeſtantiorem eſſe docuit, quare et praecipua hujus momenta paucis proponere nobis e re fore viſum eſt. Quoad medicinam vero phreniticis faciendam ſatis inter medicos conſtat, illam tunc eſſe maxime ancipitem, rariusque amplius optatum habere ſucceſſum, cum ſtadium furioſum jam incepit, ideo ſollicite hujus prodromi ſunt attendendi, ne, quem ſeruare cupimus aegrum, cunctando praecipitemus. An vero in phrenitide vena ſecanda ſit nec ne, et

num copia quoque majori pluribusque vicibus sanguis educendus, vix exprimi potest, quantum veteres et neoterici inter se disceptarint. Quae res, cum per multas contentiones a bonis medicis agitata sit, non temere inde colligemus, missionem sanguinis in phreniticis dubium esse remedium, a quo multi magnam noxam percepisse videantur; licet id quoque, ne probitatis legem violare videamur, fatendum sit, quod alii quoque bonum illius effectum sint experti. Perplacet AETII *a*) circa hancce quaestionem cautela: *si facies*, inquit, *rubicunda*, *et aetas vigens*, *et bona corporis habitudo adest*, *et omnia signa simul indicant sanguinis copiam; vena secetur et pro viribus detrahatur.* Forsitan ideo quoque minus dubitanter aliquando sanguis in phrenitide mittendus est, quod inflammationes vel symptomaticae ad eam accedere possint, praesertim cum impuritates primarum viarum, quamuis semper praesto esse videantur, minus in orgasmo soleant esse constitutae. Neque attentione indigna erit illa remedii hujus adhibendi ratio, quod vasis antea depletis reliqua medicamenta et melius agere valeant, eademque tutius a medico morbi exitum ponderante exhiberi queant. Dabitur et aliquando locus, ad laudabile satisque probatum AETII consilium *b*), occipitii ceruicisque scarificationi, quum facies etiam post venaesectionem, incontra-

cta

a) *Tetrab.* II. *serm.* II. *c.* II. in collect. H. STEPH. *column.* 214.
b) *Loco modo alleg.*

cta et rubicunda manserit, vel vbi ob aliquam caussam omittenda venaesectio videatur. Ceterum haud negligenda erunt fomenta emollientia tepida, praecordiis assidue applicanda; neque clysmata similia, quorum frequentior injectio vel ideo, quod parum potus ingeratur, proficua esse poterit; neque vesicantia vel pro re nata varioque febris genio eorum loco adhibendi sinapismi; quorum quippe omnium insignem vsum et generaliora docent artis principia, et praeclarum in hujusmodi morbis effectum experientia quam saepissime confirmauit. Ex internis vero inprimis contra biliosas putridasque sordes, tum hypochondriis inhaerentes, tum pedetentim ad canalem alimentarium deuolutas, potu, quantum crebra seriaque admonitione, etiam aliquando quadam vi adhibita c), ingeri saltem possit, plurimo, subacido, atque ex antiphlogisticorum genere eccoproticis, pugnandum; deinde quoque emeticis, ipsi etiam Hippocrati hoc in morbo probatis, satis efficaciter quidem, non tamen sine cautione, subueniendum. De horum vsu audiendus videtur

 Jac.

c) Maxime est memorabilis quam IO. HEVRNIVS hac de re habet, obseruatio, *suis in annotationibus ad Aphor. Hippocr.* VI. *Sect.* II. „Cum phreniticus quidam potare nullo modo „volebat, quidam ex adstantibus corpori illius insiliit, ac „vi os ejus aperuit, ac aquae plenas amphoras infudit. Hic, „quamuis eam aquam ad trabes vsque fere exspueret maxi„mo impetu, plurimam tamen aquam nolens bibebat. Vi„ctus frigore aquae algidissimae, dormire incepit; mox su„dor erupit, ita vi vitam retinuit.„

Jac. Lazerme, d) qui *vomitoria*, inquit, *aliquando delirium compefcunt, et cito fanant phrenitidem, dum fordes primarum viarum huic natales praebent*; et paulo poft: *quoniam vero febris quae phrenitiden comitatur - - a faburra in primis viis exfuperante producitur - - idcirco phrenitis non tanquam morbus praecipuus, fed tanquam fymptoma alterius morbi grauioris, fcilicet febris putridae vel malignae, habenda eft, quapropter purgantium et emeticorum ope praefertim eft curanda.* Praeterea et falibus antiphlogifticis, et medicamentis demulcentibus, et camphora, aliisque antifpasmodicis volatilibus, et antiputredinofis efficacioribus, et papauerinis, et pedum balneis, et aptis denique roborantibus, pro febris, et affectorum vifcerum neruorumque ratione, locum effe, et in his omnibus ad falutares conatus naturae, leuamina molientis attentionem requiri, neque alium praeter vegetabilem victum, eumque tenuem et humidum, effe permittendum, vel verbo monuiffe fuffecerit. Opiata, licet naturae deliriorum atque vigiliarum conuenire videantur, tamen ob febrem, corruptos in praecordiis humores, ficcitatem corporis, ipfo monente Sydenhamo, minime primis diebus imo neque aliquando hebdomadibus decerni debent. Si vero fe morbus in diuturnitatem aliquam trahi patiatur, et febre declinante, corporeque fatis jam depurato ac humectato, delirium nihilominus pergat; tunc prudens laudani vfus magnum

d) *Tr. de morb. capit. Amftel.* 1748. *p.* 123.

gnum fructum promittit. Atque illum tutum esse, si morbus ad hunc terminum Sydenhamianum peruenerit, ipse largitur celeberr. TRALLES *e*), qui alias, idque merito, tantopere opium in acutis metuit. Vt igitur paucis, integram phrenitidis curationem comprehendamus, sagacissimi BRENDELII *f*) verba vsurpare liceat; *versatur in vomitoriis cardo quidam curationis, praeter illa, quae medelae febrium malignarum debentur. Tempestiue danda, et antequam spastica ista nimis inualescat deglutitio: danda pluries, suis quidem sub cautionibus.*

§. XXIV.

Paraphrenitis vti in omnibus similis, leuior tamen phrenitide, morbus est, ita nec aliam medendi methodum, nisi quodammodo mitiorem requirit. Artis potestas hic saepius elucescit; et laxantia partitis vicibus continuatoque vsu exhibita jam permultum efficere possunt *a*). Non tamen vllo modo emetica negligenda videntur; teste enim WILLISIO *b*), *vomitoria peculiari modo in affectibus quibusque insanis iuuare solent;* siquidem et saepissime purgantibus minus debilitant, visceraque concutiendo, id aegris commodum subministrant, quod nullo

e) *Vsus opii salubris et noxius in morbor. medela sect. II. p.* 116.

f) *Diss. de phrenitide* cit. in fine.

a) v. BAGLIVVS *in opp. Lugd.* 1745. *p.* 102.

b) *De anim. brut. P. II. c. XI. p.* 276. Conferri quoque meretur BRENDELII laudata saepius *diss. de cognat. paraphr. et febr. malign.* §. *XVI.*

alio euacuantium genere vnquam obtineri efficaciter juxta et fecure poteft.

VII.

Differtatio de haemorrhagia vteri, publice propofita Gott. d. 12. menf. Iun. 1771. Refpondente Ioann. Bvrgaver Helueto-Scaphufiano.

---

§. I.

Variis fub conditionibus fanguinem ex muliebri vtero effluere cuiuis notum eft. Ex fanitatis nempe legibus, quo tempore femininum corpus ad incrementum fuum peruenit, vt fuperabundans fanguinis copia tollatur, et vterus ad conceptionem difponatur, fanguis de muliebri finu prodire incipit, menftrui fluxus nomine; menfis enim fpatio elapfo plerumque redit, licet illaefa fanitate in quibusdam, pro diuerfitate regionis, temperamenti, diaetae, bis in menfe, vel tertia quauis feptimana appareat; et abfoluitur vt plurimum dierum trium aut quatuor fpatio, diuerfa interim fanguinis effluentis copia, ita tamen vt vnciarum fex vel octo menfuram in faniffimis non excedat. Vbi vero impraegnata mulier eft, menftrua plerumque ceffant et fanguis tum in foetus incrementum abfumitur, tum diftendendis

ac

ac replendis vteri vaſis impenditur, donec vterus ad extremum diſtentus ſe ſe contrahat, foetumque cum placenta exprimat, vbi nunc inſigne iterum ſanguinis profluuium oritur, lochiorum nomine inſignitum, per quod ſanguis purus primo, dein contractis vaſorum diametris flauus, vel albidus ac denique mucoſus effunditur, ceſſans iterum, vtero ſenſim ad virginei fere molem contracto. Reuertuntur autem menſtrua in grauiditatis et lactationis interuallis, neque prius plane deſinunt quam quadrageſimum quintum circiter aetatis annum effoetae nunc mulieres attigerint.

§. II.

Cum vero fluxus hi ſanguinis ex vtero ex naturae inſtituto fiant, haemorrhagiae vteri nomen eos non mereri, quiuis intelliget, cui notum eſt, eas tantum ſanguinis profuſiones haemorrhagias Pathologis dici, quae praeter ſanitatis leges eueniunt et cum ejus detrimento conjunguntur. Verum quidem eſt, quod etiam naturales hi fluxus tum menſtruorum tum lochiorum modum interdum excedant, et ſanitas inde inſigniter laedatur, quamdiu tamen periodum ſuam ſeruant, durationis tempus non nimis extendunt neque tanta ſanguinis copia profunditur, vt inde vitae periculum vel graues alii affectus oriantur, menſes vel lochia nimia tantum appellantur. Et tunc demum vterum haemorrhagia laborare dicunt, ſi ſanguinis effluxus ex qua-

cunque cauſa producti adeo enormes ſunt, vt vita periclitetur; vel ſi mediocres ſunt, juſto tamen citius, nullaque ſeruata periodo, recurrunt, per menſes et annos vexant, orificium vteri laxum et dehiſcens habent, ac inſignem debilitatem cum aliis functionibus laeſis inducunt.

§. III.

Symptomata vero, quae haemorrhagiam vteri comitantur, alia quibusuis ſanguinis profluuiis ſpeciatim menſium et lochiorum nimio fluxui communia, alia vero ipſi peculiaria ſunt; atque haec quidem diuerſiſſima ſunt pro diuerſitate cauſſarum quarum ſoboles eſt. Itaque in quibusdam adeſt febris vehementior mitiorue, pulſus magnus, celer, durus, cum faciei rubore, ſiti, anxietate et reliquis febrium ſymptomatibus, in aliis ſimul ſpasmodicae congeſtionis manifeſtiora ſigna deprehenduntur, frigus extremorum praeſertim inferiorum, grauitas vel dolor lumborum, aluus adſtricta, et tum pulſus paruus plerumque eſt et duriuſculus. A quibusdam ſenſus ſimul percipitur ponderis, tenſionis, doloris vrentis, pungentis, lancinantis in regione pubis vel inguinum, cum majore vel minore abdominis intumeſcentia. Sanguis ipſe emanans modo naturalis coloris eſt, modo ater, in his odoris expers, in aliis foetidus et putridus, in his purus, in aliis cum pure, filamentis, ſanie mixtus, interdum, praeſertim ſi orificium vteri clauſum eſt, ideoque

efflu-

effluxus retardatur, in grumos majores minoresue intra vterum coit, qui tandem ſub vehementibus aliquando doloribus vtero expelluntur. Quae vero haemorrhagiam ſequuntur ſymptomata, diuerſa ſunt pro illius vehementia, aliae non longo poſt tempore ſanguine exhauſtae ſub ſyncope vel ſpaſticis affectibus moriuntur. Aliae ſi parcior fluxus fuerit debilitatas vires recolligunt, ſed redeuntibus fluxibus ſenſim ſenſimque conſumuntur, mammae collabuntur, corpus cacochymicum redditur, humorum ſecretiones et excretiones labaſcunt, adpetitus perit, cibi non digeruntur, viſcera chylopoietica obſtruuntur, hinc hectica febris, anaſarca hydrops ſenſim accedunt, aſpectus fit horridus, oculi torui, naſus acutus, facies hippocratica, et tandem aut placide exſtinguuntur, aut ſub horrendis interdum ob localia vteri vitia doloribus, ſpaſticis affectionibus morti traduntur.

§. IV.

Progredimur nunc ad cauſas, quae haemorrhagias vteri producunt; et de proxima quidem ſuperfluum videtur notare, quod in ſoluta vaſorum vteri continuitate conſiſtat, ita vt nunc vltimi illorum fines praeter modum laxentur et amplientur, nimisque facilem ſanguini tranſitum permittant; nunc ipſi vaſorum parietes vel nimia diſtenſione rumpantur, vel vi mechanica externa dilacerentur, vel acri quadam materia erodantur. Pergamus potius

ad

ad remotiores caussas, quae, experientia dictante, profluuia haec excitant; in quarum enarratione optimum ordinem videmur eligere, si primo in caussas, quae extra grauiditatis vel puerperii tempus vteri haemorrhagias producunt, inquiramus, dein etiam illas, quae grauidis et puerperis propriae sunt, perpendamus. Licet enim in his frequentiores sint, non rarissime tamen sunt in virginibus et feminis in vtero non gestantibus, et praesertim in vetulis, quin in ipsis recens natis et puellis junioribus impuberibus interdum sint obseruatae *a*).

§. V.

Omnes nimirum causae aliis sanguineis fluxibus originem praebentes, in virginibus et aliis feminis non grauidis nec puerperis nimium mensium fluxum et veras vteri haemorrhagias producere possunt, praesertim si illae causae eo tempore inuadunt, quo fluxus menstruus instat, vel vbi vterus ex perpessis jam saepius haemorrhagiis vel partubus frequentibus et laboriosis debilior est, et alias etiam in sanitate menses majori fluere copia soliti fuerunt; si ergo plethoricae virgines et feminae aliae circa lunarem periodum vehementiori motu corpus exercent, aut ingestis cibis et potu calidioribus, vel prauioribus animi affectibus plethoram commouent, congestio sanguinis versus vterum instante menstruo fluxu

a) Miscell. N. C. Cent. VII. p. 92. et Cent. IX. p. 376.

fluxu ſolennis ita augeri poteſt, vt haemorrhagia vteri oriatur. Sic poſt validum niſum vteri haemorrhagiam obſeruauit FORESTVS *a*), poſt ſternutationem HILDANVS *b*), ex animi paſſionibus BAGLIV *c*), ex terrore et ira HOFFMANNVS *d*), ex coitu immodico TISSOT *e*). Et animi affectus quidem non eo ſolum modo, quod ſanguinis circulationem incitant, aut vltimos vaſorum fines relaxant, haemorrhagias producunt, ſed, dum bilis ſecretionem et craſin perturbant, ſordibus primarum viarum anſam praebent, quae non ſolum inteſtina irritando ſpaſmos inducunt, ſed in ſanguinem quoque receptae ejus turgeſcentiam et motum augent; quare obſeruamus, quod tales haemorrhagiae aliquando non ſiſtantur, vsque dum acres ſordes ex primis viis euacuantur, et bilioſa materies ſanguini admixta corrigitur. Et quaecunque cauſae praeter animi pathemata bilioſam colluuiem producunt, eae inter remotiores, vti aliarum partium, ita etiam inter haemorrhagiarum vteri cauſas referri debent. Eadem ratione etiam vermes inteſtinales haemorrhagias vteri producere videntur, quales ex hac cauſa obſeruauit Cel. VAN DEN BOSCH *f*); ſpaſmos enim hi quoque excitant et cruditatum generationi maxime

a) Obſeruat. Lib. XXVIII. obſeru. XVI.

b) Centur. III. obſeru. 58.

c) Oper. omn. p. 149.

d) Medic. rat. ſyſt. Tom. IV. Sect. I. Cap. V. obſeru. IV. et V.

e) ZIMMERMANN von den Erfahrungen 2. Th. S. 399.

f) Hiſtor. conſtit. epid. vermin. p. 104. et 153.

xime fauent. Sunt et aliae cauſae, quae quod ſanguinem potiſſimum verſus vterum deriuant, eo facilius hujus partis haemorhagias producunt. Huc pertinent emmenagoga fortiora, pediluuia, quibus multae feminae ad promouendum nimis parcum menſtruorum fluxum abutuntur, his enim ita aliquando ſanguinem commouent, et vaſa vteri ſimul debilitant, vt prodeant quidem menſtrua, ſed poſtea nimia copia fluant et ſingulis fere ſeptimanis maximo cum ſanitatis detrimento appareant *g*). Neque minus periculum junctum eſt malae illi conſuetudini multarum muliercularum, hyemis tempore ignem ſibi ſubdere, quod licet in quibusdam contrarium effectum, menſtruorum nimirum diminutionem producere queat *h*), in aliis tamen nimio profluuio quoque anſam praebet. Noui feminas, dicit BOERHAAVIVS *i*), pulcherrimas ſed molliſſimas, quae vix integra ſeptimana a menſibus liberae ſunt; hoc ab otio fit et mollitie, deinde ab igne, quem pedibus feminae Batauae perpetuo ſupponunt, deterrimum ſecutae morem; ita enim inferiora laxantur, et eo ſanguis attrahitur. Inter cauſas, quae ſanguinem exaeſtuando et rarefaciendo haemorrhagiam noſtram producunt etiam referendae ſunt febres. Vti enim in febribus ſaepiſſime leuantes aut criticae noxiaeue haemorrhagiae per nares vel haemorrhoides oriuntur, ſic etiam in feminis febricitantibus ali-

g) Van SWIETEN Comment. in aphor. BOERH. Tom. IV. p. 429.
h) MORGAGNVS de Sed. et Cauſ. morb. Epiſt. XXI. art. 29.
i) Praelect. academ. Tom. V. P. II. p. 83.

aliquando morbus per copiosiora sanguinis ex vtero profluuia leuatur vel soluitur, vel etiam quandoque redditur periculosior. Sic HIPPOCRATES *k*) de Cleomenis vxore pleuritica narrat, quod ipsi quarto die copiose menses fluxerint, eo euentu, vt dolor lateris, sputa, omnia reliqua cessarint. Raro quidem febriles tales sanguinei fluxus adeo modum excedunt, vt haemorrhagiae nomen mereantur; illis exceptis, qui in febribus putridis tum simplicibus tum biliosis aliquando contingunt ex putrida humorum dissolutione, quales in epidemicis talibus febribus obseruarunt BOVCHER *l*), LIVRE *m*), HVXHAM *n*). Quemadmodum vero in his putrida sanguinis dissolutio, sic etiam ex alia causa producta nimia sanguinis tenuitas haemorrhagias vteri in chronicis morbis producere potest; ita in scorbuticis feminis, vti in morbi initio menses suppressae vel irregulares sunt, sic in morbi incremento ex tenui et acri sanguine vasa eroduntur et profusa mensium profluuia oriuntur *o*). Simili ratione feminae ictericae eadem patiuntur, qualia obseruauit HVXHAMVS in piissima olim matrona, quae icterica ac febriculoso, sanguinem vehementer profudit ex naribus, viis vrinariis, vtero, intestinis, tandemque cum sanguine animam

mam

k) Epidem. L. VII. Edit. Foesii. p. 1235.

l) Journal de Medecine T. X. Fevr. 1759.

m) Ibid. Maj et Juin 1759.

n) Opera T. II. p. 49.

o) Bissets medical essays and obseru. p. 205.

mam *p*). Eo facilius vero per vterum in chronicis hisce morbis sanguis effluet, si, vt plerumque contingit, viscera hypochondriaca sunt obstructa et feminae ad plethoram abdominalem spasticasque affectiones dispositae sunt. Est etiam feminarum hystericarum sanguis plerumque justo tenuior, solida nimis laxa, adeoque et ob nimiam neruorum irritabilitatem, qua ex leuissimis caussis spasmi et congestiones oriuntur, hae feminae saepius largissimum mensium fluxum habent, et facile ipsas vteri haemorrhagias patiuntur, modo leuior quaedam ex superius dictis caussis accedat. Praeterea etiam feminae, quae potibus spirituosis et potu coffeae *q*) abutuntur ad haemorrhagias vteri procliuiores sunt, his enim sanguis perpetuo febrili quodam aestu agitatur, ac tenuis redditur. In aliis vero praecipua haemorrhagiae caussa in nimia vasorum vteri laxitate quaerenda est, vti in iis fit, quae aliquoties jam haemorrhagias passae sunt, facile enim ex partibus, quae olim sanguinem profuderunt, fluxum recidiuum fieri quotidiana experientia docet; quae etiam laxitas caussa esse videtur, quod puellae, quae diutius catameniorum suppressionem sunt perpessae, tandem haemorrhagiam nimiam experiantur, praecedente enim illa distensione ex retento sanguine vasa horumque ostia eousque debilitantur, vt nimium effundant, minusque ac difficilius dein se con-

p) Opera T. I. p. 159.

q) ZIMMERMANN von der Erfahrung 2. Th. p. 347.

contrahere valeant. Sed ſub contrario quoque vitio, nimia nimirum vteri rigiditate, ſanguinis profluuia quandoque contingunt, vt moleſtae illae haemorrhagiae, feminas vexantes, ea aetate, qua catamenia breui valedictura ſunt, ſatis declarant; ſi enim in his eadem adhuc ſanguinis copia gignatur ac antea, dum fluxum menſtruum naturalem erant expertae, ſanguis in vaſis vteri facilius ſtagnabit, hinc oriuntur tenſiones partium, obſtructio late per vicina vaſa diffunditur, circulatio per peluim impeditur, tandem ſanguis ex nimia diſtenſione vaſorum erumpit, et feminas niſi morti breui tradat, debilitat tamen et ſaepe illas in cachexiam et hydropem praecipitat. Sed majora aliquando vtero feminarum, licet non grauidarum, inſunt vitia localia, vnde haemorrhagiae oriri poſſunt. Sic enim omnino ex fluxu menſtruo ſubito ſuppreſſo et exceſſu in coitu, meſtaſtaſibus varii generis, inflammatoriae in vtero ſtaſes oriri poſſunt, quae aut principio neglectae, aut incongrua medela, praeſertim, vti GALENVS r) jam notauit, incauto venaeſectionis, refrigerantium, repellentium vſu, aut ob alias notas cauſas, quae inflammationis reſolutionem impediunt, in vomicas aut ſcirrhos, ex dimiſſis ſine refectione a morbo inflammationum ſymptomatibus, ſubſiſtente tamen lenta febricula cum ponderis in pubis regione ſenſu, fluxus menſtrui imminutione

r) De arte curat. ad GLAVC. L. II. C. 4.

tione vel plenaria ceſſatione, eleuatione regionis hypogaſtricae, cruris alterius vel vtriusque languore, oedemate, tabe, cognoſcendos, et ex his in vlcera et cancros abeunt, ex quibus, quomodo haemorrhagiae produci poſſint, facile quiuis videbit. Et vti in aliis partibus, ſic etiam in vtero ſine praegreſſa inflammatione vomicae, ſcirrhi, vlcera et ex his haemorrhagiae oriri poſſunt. Nec raro ſcirrhi vteri oriuntur in effoetis mulieribus *s*), qui in cancrum tandem abeuntes ſanguinis ex eroſis ab acri ſanie vaſis profluuia excitant, qui nunc magna copia et vno riuo cum vitae ob inanitionem periculo profunditur, nunc minori copia ſeroſa foetida colluuie dilutus putridisque filamentis mixtus exſtillat, vnde citius tardiusue doloribus conſumptae et ſanguine exhauſtae ex hydrope, aut hectica febre moriuntur. Eadem mala interdum eueniunt illis, quibus ob neglectum fluorem album vlceribus vterus foedatur; ſic ALBRECHT *t*) de honeſta quadam matrona narrat, fluore albo largiſſimo laborante, cui ſerum acerrimum maxima copia effluens creabat dolorem intenſiſſimum et ex irritatione ac eroſione vaſorum haemorrhagiam alternis vicibus cum leucorrhoea affligentem, illaque tandem recrudeſcente exanimabatur. Praeſertim vero eae, quae leucorrhoea venerea neglecta vexantur, vlcera vteri et haemorrhagias ſibi contrahunt,

qualia

s) Van SWIETEN. Comment. T. 1. p. 888.

t) E. N. C. Dec. III. a. v. VI. obſeru. 21.

qualia exempla referunt PEV *u*) et ROEDERER *x*). Neque raro vteri haemorrhagiae originem ſumunt ex vteri polypis, fungoſis nimirum et carnoſis excreſcentiis, graciliori fine, quaſi pediculo, aut fundo vteri aut ejus orificio aut vaginae adhaerentibus; poſteriores quidem raro haemorrhagiam excitant, niſi vi quadam auellantur, eo frequentius vero illi, qui fundo vteri adhaerent, ſanguinem fundunt; dum nimirum polypi corpus orificium vteri tranſit, ſtringitur a ſphinctere matricis, hinc venae, quae per ſuperficiem ejus diſtribuuntur, comprimuntur, varicoſae fiunt, incertis temporibus rumpuntur, et copioſum ſaepe ſanguinem dimittunt *y*). Tandem inter cauſas, quae extra grauiditatem vteri haemorrhagiam producunt, pertinet vteri prolapſus; vidit DE SAVVAGES *z*) virginem, quae hyſterocelen a leucorrhoea contraxerat, in qua per duos annos quouis menſe fluebat cruor exceptis octo diebus, quibus mucus lymphaticus tantum exſtillabat. Cauendum vero eſt, ne polypus fundi vteri pro prolapſu vteri habeatur, qua in re multi hallucinati fuerunt, quorum catalogum Cel. LEVRET *aa*) conſcripſit; et ſane, qui vterum prolapſum ſe excidiſſe ſcribunt, niſi prolapſu vaginae, talibus vteri

T 2 poly-

u) Prat. d'accouch. p. 562.

x) Opuſc. med. p. 243 et 263.

y) LEVRET obſeru. ſur la cure radicale de pluſieurs polypes de la matrice. Paris. 1759. p. 23-24.

z) Noſolog. meth. T. II. p. 309.

aa) L. cit. p. 26-27.

polypis decepti fuiſſe videntur. Licet non negemus amplam fundi vteri excreſcentiam ſuo pondere vterum inuertere et deorſum trahere poſſe *bb*). Dictum vero errorem, in quem pyriformis maſſae illius propendentis figura, ejusdem exciſae moles, interius forte apparens cauitas, leuis hiatus in extremitate inferiore vteri orificium ſimulans, accedens inflammatio, exulceratio, durities, ſphacelismus et ſimilia multos induxerunt, facile euitabunt, qui perpendunt, prolapſum vteri incompletum protuberantiam ſiſtere inuerſe pyriformem ſuperius latiorem, inferne anguſtiorem, ibique apertura ſectam euidentiore, transuerſali, oblonga; in prolapſu completo vaginam ſimul abripi et ſpatium nullum relinqui per quod tranſeat digitus; in vteri inuerſione prolapſam partem facile reduci, ſed acriter dolere, et ſi completa ſit, veſicam vrinariam deorſum trahi, hinc dolore acuto in inguinibus, renibus, hypogaſtrio, mingendi difficultate, tenesmo ſtipari; polypum vero fundi vteri directe pyriformem, imperforatum, irreducibilem, vagina non incluſum eſſe, veſicam et vaginam non ſecum abripere, niſi rariſſimo caſu, quo pondere ſuo vteri prolapſum vel inuerſionem producit *cc*). Praeter dictos Polypos poſſunt etiam aliae polypoſae concretiones vterum virgineum et caſtarum feminarum

bb) MORGAGNI de cauſ. et ſed. morbor. Epiſt. XLV. art. 5 et 6.

cc) LEVRET. Mem. ſur les polypes de la matrice et du vagin. dans Mem. de l'Acad. Roy. de Chir. T. III. p. 518. ſqq.

narum obſidere, et vterum irritando haemorrhagias producere, ab illis diſtinguendae; quae, licet quidpiam membranarum inſtar ſibi adjunctum habeant, cum vtero tamen non continuantur, ſed ex ſanguine fiunt ſtagnante, non ſecus ac reliquae polypoſae concretiones, in ſinubus durae meningis, vaſis cordis majoribus, ſinubus, ventriculis; quamprimum enim ſanguinis, qui ſola trituratione perenni cordis arteriarumque ſeruatur fluidus, et a minima quiete extemplo ſolideſcit, pars in vteri cauitate remanet, materia ejus ſpiſſa et lardo ſimilis ſeparatur a parte ſeroſa, ſolideſcit in membranas, maxime ſi vel a naturali diatheſi vel alia cauſa inflammatoria ſanguinis ſpiſſitudo adſit *dd*). Contingit aliquando, quale memorabile exemplum narrat Ill. MORGAGNVS *ee*), quod ſanguinei ſeri ex vterinis vaſorum oſculis prodeuntis viſcidiores particulae ad omnes vteri parietes intimos adhaereant, ſicque in polypoſam membranam concreſcant, quae ad caueae illius imaginem quaſi ad typum quendam conformata triangulare marſupium refert, quod ſanguini ſingulis menſibus erupturo, primum quidem obicem ponendo, efficit, vt diſtendantur vteri vaſa, ſicque dolores excitentur partus doloribus ſimiles; deinde vero vrgente ſanguinis vi a parietibus diſtrahitur, nouiſſime vndique auulſum, non ſine magna

 ob

dd) De HAEN. Rat. med. T. II. C. 7. De polypo.

ee) De ſed. et cauſ. morb. Epiſt. XLVIII. art. 12.

ob illam vaſorum diſtenſionem et praeuia et comitante et ſequente ſanguinis copia ejicitur.

§. VI.

Proximum eſt, vt de haemorrhagiis vteri, quae in grauidis occurrunt, verba faciamus. Et hae quidem merito pro periculoſiſſimo grauidarum morbo habentur, cum toties cum abortu ſint conjunctae. Contingit quidem interdum, vt ſine noxa ſanguis e gravidarum vulua exeat; dantur nimirum feminae *a*), quibus primo grauiditatis menſe menſtrua non ſiſtuntur, quin in grauidis plethoricis et aetate junioribus quibusdam cum euphoria fluere poſſint, ita tamen vt ſenſim ſenſimque decreſcant; neque in dubium vocari poſſunt obſeruationes, fluxum illum ad medium grauiditatis terminum vsque, quin vltra, nonnunquam ſine vlla noxa fuiſſe protractum, imo tales fuiſſe feminas, quae tunc in primis, quando vtero gerebant, menſes patiebantur *b*). In his vero ſanguis non ex ipſo vtero, ſed ex ſpongioſa ceruicis vteri ſubſtantia, et ſpeciatim ejus ſinubus mucoſis dilatatis fluit. Contingit quoque, vt in quibusdam feminis plethoricis, praeſertim quae venaeſectionem omiſerunt, ex vteri mole venas iliacas comprimente vaſa vaginae varicoſae fiant, et copioſum ſanguinem fundant, quod mul-

a) BOERHAAVE. Praelect. academ. T. V. §. 11. p. 240. ROEDERER Diſſert. de ſign. grauid. aeſtimat. in Opuſc. p. 400. ſeqq.

b) Conf. ROEDERER loc. citat.

multis praematuri partus metum injicit, cum tamen hae haemorrhagiae, quae ab illis, quae ex vtero fiunt, dolorum abſentia, conniuentia orificii vterini ſatis diſtinguuntur, ſine vllo periculo ſint, ſub ea feminae leuentur, et ad juſtum plerumque grauiditatis terminum perueniant c). Rarioribus his caſibus exceptis, ſanguinis ex muliebribus grauidarum fluor ſemper nociuus eſt, tum enim plerumque placentam vel in totum vel pro parte ſaltem ab vtero ſeparatam eſſe indicat, quam vero ſolutionem plerumque abortus ſequitur. Neque enim minus timendum eſt, quando placenta ſaltem ex parte ab vteri nexu ſoluitur, praeſertim ſi hoc in placentae ambitu contingit, quo loco vaſa magna et numeroſa ex vtero in placentam veniunt, quae difficulter iterum conſtringuntur, (ſecus ac poſt partum, vbi contrahente ſe ſe vtero magnae etiam haemorrhagiae ſponte ſiſtuntur) dum vterus diſtentus manet, vel ſi etiam ſiſtuntur ob grumos ſanguinis vaſorum hiulcorum diametris ſe accommodantes, et effluxuro ſanguini obicem ponentes, facile tamen illis excidentibus profuſiores et copioſiores redeunt, et rariſſimi caſus ſunt, in quibus placenta pro parte ſeparata *d*) denuo vtero vnita fuit. Poteſt quidem placenta ab vtero ſine inſequente haemorrhagia abſcedere, quando, vti vidit Cel. ALBINVS *e*) id in medio placentae fit, et marginis

c) Exemplum narrat WOLF in Com. Nor. A. 1741. p. 326.
d) NOORTWYK de vtero grauido p. 27, et 28.
e) Annot. acad. L. I. C. IX. p. 36.

circumferentia nihil quidquam abscedit, eoque, ne sanguis proflueret, prohibetur, licet etiam tunc metus sit, ne sanguis inter placentam et vterum ex vasis ruptis effluens, copia auctus, tandem separet limbi orbicularis placentae nexum cum vtero et inde profusa haemorrhagia sequatur. Frequentissime vero haemorrhagiae ex hac placentae solutione secundo, tertio, vel quarto grauiditatis mense contingunt, rarius septimo, octauo, nono oriuntur; hoc vero tempore pejores sunt, qui tum omnia vasa vteri maxime sunt distenta; primis enim grauiditatis mensibus facile aut sponte expulso foetu aut per artem extracto sistuntur, licet rarioribus casibus etiam periculosae esse possint; placenta enim major in minoribus foetibus largiori superficie vtero fortiter aliquando adhaeret, et tener funiculus vmbilicalis a leui tractione rumpitur, hinc placentae pars radiculas ibi aut crassiores aut longiores, aut crebriores vteri poris arctioribus aut profundioribus et confertioribus infigens, affixa, in vtero remanet, quo haemorrhagia protrahitur, et inflammatio facile arcessitur *f*); facile etiam aut soluta placentae frusta aut sanguinis grumi in vtero remanent, quae irritando noxiae sunt, atque tunc in putredinem abeuntes periculosas putridas febres excitant; quale exemplum bis vidit Ill. van SWIETEN *g*).

§. VII.

f) MORGAGNVS de sed. et caus. morb. Epist. XLVIII. art. 28.
g) Comment. in aphor. BOERH. T. IV. p. 482.

§. VII.

Inter caufas vero, quae placentae praematuram ab vtero féparationem producunt, omnia pertinent, quae velocitatem fanguinis per vteri vafa adeo augent, vt inde tenera vterum cum placenta et chorio nectentia vafcula rumpantur, fiue nunc motus fanguinis in toto corpore augeatur, fiue particularis tantum ejus congeftio ad vterum contingat. Hinc animi affectus vehementes frequentiffime abortum in grauidis produxerunt, his enim omnes humores vehementer in corpore agitantur, et fpafticae ftricturae praefertim in vifceribus abdominis producuntur. Vidit Cl. Pev *a*) feminam, quae cum jam termino grauiditatis proxima effet, fubita excandefcebat ira, dum vicina mulier puerum ejus quinquennem percuteret, mox aliquid infoliti fentiens in corpore, praedixit fe inde morituram, poft aliquot dies fubito profufa vteri haemorrhagia fequitur, vnde conuulfa periit. Aliam abortiri vidit Ill. Morgagnvs *b*) quinto jam menfi proximam, cum nuncius afferebatur acerbiffimus de inftante obitu abfentis viri. Similia ob ingentem ex incendio in vicinia terrorem vidit Ill. van Swieten *c*). Eodem modo etiam validi corporis motus, vectio in rheda, validi corporis concuffus, nixus, in grauidis haemorrhagias vteri et abortus excitarunt.

 Pro-

a) Prat. d' accouch. L. I. C. VIII. p. 70.
b) De fed. et cauf. morb. Epift. XLVIII. art. 18.
c) Comment. in aphor. BOERH. T. IV. p. 497.

Propriam ſororem, quae vltimo grauiditatis menſe in genua prolapſa, tumens abdomen humo impegerat, tertio die poſt in vteri haemorrhagiam incidere lethalem vidit MAVRICEAV *d*). Et de muliere narrat Ill. MORGAGNVS *e*), quae cum vterum ferens ex vno in alterum locum graue quoddam pondus ſemel atque iterum tranſtuliſſet, abortiebatur, moriens ob retentam placentam et ſequutam vteri inflammationem. Saepius etiam haemorrhagia vteri et abortus originem ducunt ex ſternutatione valida et frequenti, qualem vidit Ill. van SWIETEN *f*), non minus ac ex valida tuſſi, qua grauidae tum ex communibus cauſis, quae in aliis hominibus locum habent, tum ob ipſam grauiditatem, plerumque vltimis grauiditatis menſibus ex tumido abdomine, liberum diaphragmatis motum impediente, interdum etiam ab initio grauiditatis, ob conſenſum ſenſiliorum in hiſce vteri neruorum cum illis diaphragmatis, vexantur. Periclitantur etiam grauidae, ſi febribus corripiuntur, dictante HIPPOCRATE g), praeſertim ſi de genere belioſarum et putridarum ſint, in his enim ſimul adeſt irritamentum in praecordiis, quod irritando ſpasmodicas in abdomine ſtricturas facile producit, et ſanguis diſſolutus facile vaſorum fines tranſit; hinc frequentes

d) Traité des malad. des femm. groſſ. L. I. C. XXI. p. 162.

e) De ſed. et cauſ. morb. Epiſt. XLVIII. art. 28.

f) Comment. in aphor. BOERH. T. IV. p. 499.

g) Aphor. 55. Sect. V.

tes abortus enormibus haemorrhagiis junctis, in febre putrida biliosa epidemica obseruauit Cel. BOVCHER *h*). Et in iis, quae frequenter abortiunt, semper ad chylopoietica viscera est respiciendum, et saepe causam quandam in primis viis deteges. Memorabilia exempla refert Cel. van den BOSCH *i*) haemorrhagiarum vteri et abortuum a lumbricis intestinalibus excitatorum; quae mala quoque ab ascaridibus orta vidit Cl. van PHELSVM *k*). Ob eosdem abdominales spasmos etiam ex calculis abortus sunt obseruati; sic PLATERVS *l*) de nobili quadam matrona refert, ex nephritide calculosa multis jam annis laborante, quae quatuordecies vterum gestauit, toties vero abortum passa fuit. Ideoque etiam grauidae, quibus fortiora emetica, purgantia, diuretica propinantur, vel quae spontaneis diarrhoeis, dysenteriis, stranguriis afficiuntur, adeo frequenter abortiunt, spasmi enim intestinorum facile vicino vtero communicantur. Neque minus grauidis noxius est immodicus coitus, quae vnica saepe causa est, quod dispositio ad abortum corrigi nequeat *m*). Notandum interim est, si vna ex dictis causis abortum excitat, simul vlteriorem peculiarem ad abortum dispositionem adesse. Multas enim inuenies mulieres grauidas, quae etiam grauio-

h) Loc. sup. cit.

i) Loc cit. p. 104.

k) Hist. ascarid. path. p. 135. seqq.

l) Obseru. med. L. II. p. 468.

m) ZIMMERMANN von der Erfahr. Th. II. p. 396. seqq.

uiores ex illis causis sine vllo detrimento experiuntur. Multae scelestae mulieres, quae foetum perdere tentant acrioribus purgantibus, aliisque calidioribus stimulantibus vtuntur, validos adhibent concussus corporis, neque tamen finem suum attingunt. Multae sine abortus successu febribus etiam grauioribus corripiuntur, et Ill. TISSOT in febre biliosa Lausann. nullam haemorrhagiam vteri, neque menstruationem tempore morbi obseruauit *n*). Aliae dysenteriis, diarrhoeis, choleris afflictae fuerunt abortum minime passae *o*). Fuerunt quae mox post conceptionem sternutationibus, vomitibus vehementibus, insultibus epilepticis ad grauiditatis vsque terminum vexatae sunt, neque tamen violentae hae concussiones tenero germini exterminando suffecerunt. Vidit Ill. TRALLES *p*) mulierem, quae modo facta conceptione tussire incipiebat, neque desinebat ante partum; iterumque et tertium grauida idem incommodum per nouem solidos menses patiebatur. Aliae vero ex leuissimis causis periculum non euitant, in his ergo vtero peculiaris insidet diathesis a leuissimo stimulo in contractionem cieri, quae adeo pertinax interdum est, vt corrigi nullis medicamentis queat. Legimus de femina, cui a repentino animi affectu abortus primum inductus fuit, qui postea ad tres et viginti vices eodem semper a conceptione tempore,

nimi-

n) Diss. de febr. biliosa Lauf. in Opusc. T. I. p. 115.
o) LVPINVS Hist. morb. difficil. p. 43.
p) Tract. de Opio. S. IV. p. 102.

nimirum tertio menſe, ſine vlla fere occaſione praecedente, redierat, tametſi nulla artis praeſidia a Medicis Celeberrimis omitterentur *q*). Praematurae placentae ſolutioni anſam quoque praebere poſſunt localia vteri vitia, tumores, ſcirrhi; licet enim, vti recte jam notauit HIPPOCRATES *r*), conceptus plerumque non fiant, ſi indurati fuerint vteri, in mitiori tamen malo, vbi partem tantum vteri ſcirrhus occupat, ceruix et ouaria libera ſunt, foecunda conceptio nonnunquam fit et creſcit, licet raro perficiatur, ſed plerumque vlteriori vteri extenſione obſtaculo poſito abortus excitetur, quale exemplum refert CHAPMANN *ſ*). Poteſt quoque in funiculo vmbilicali ſolutionis placentae cauſa haerere, quando nimis breuis eſt, idque vel abſolute, vel per accidens, ob varias circa foetus membra circumuolutiones breuior factus; in vtroque enim caſu vegetus embryonis motus partem placentae ſoluere, ſanguinisque fluxum excitare facile poterit *t*).

§. VIII.

Praeter dictas cauſas, quae ob ſolutionem placentae vteri haemorrhagiam producunt, ſunt etiam aliae, quae eidem occaſionem praebent, vti vulnera vteri, quae ingentia et lethalia ſanguinis profluuia

q) MORGAGNI loc. cit. art. 19.

r) De morbis mulierum L. II. S. II. §. 45. et 46.

ſ) Treatiſe on the improvement of Midvvifery p. 134. ſeqq.

t) MAURICEAV Traité des malad. des femm. groſſ. T. I. p. 159.

excitare possunt, etiamsi placentae cum vtero nexus manserit integer *a*). Porro ex quacunque caussa foetui nutrimentum deficiat, siue ob vitia placentae, siue vmbilici, siue ipsius foetus corpusculi, abortus et haemorrhagia eueniet; illis enim caussis fit, vt cum vtero placenta laxius cohaereat, in iustam molem foetus non excrescat et vtero non satis resistat, ita vt hic leuissimam irritationem sequi possit, quo etiam foetus mortuus spectat.

§. IX.

Tempore partus variae caussae haemorrhagiam vteri producere possunt, et quidem primo omnes ex antea dictis, quae solutioni placentae ante foetus maturi expulsionem occasionem praebent; praeterea non plane infrequens caussa est placenta ceruici inhaerens. Quamuis enim in statu naturali vteri fundo placenta adhaerere debeat, potest tamen quoque omni vteri ambitui affigi, et ipsi ceruici, vti tum propriis tum aliorum obseruationibus egregie demonstrauit Cel. LEVRET *a*), qui etiam adeo accurate signa hujus haemorrhagiae ex hac caussa docuit, quarum praecipua haec sunt: Quando nimirum grauida vltimis mensibus exploratur, capitis pondus digito non offertur, licet orificium

axi

a) MAURICEAV L. cit. p. 169.

a) Suite des observ. p. 48. seqq. Confer DE HALLER in Not. ad praelect. BOERH. T. V. P. II. p. 234. ROEDERER Icon. Vteri hum. p. 32. VAN DOEVEREN spec. obseru. acad. C. X.

axi peluis reſpondeat, ſed retro ſegmentum vteri inferius corpus ſpongioſum, carnoſum tangitur, quod firmiter cum vtero cohaeret, ideoque digito orificium penetraturo reſiſtit; partu dein magis appropinquante, inopinato ſanguinis torrens erumpit, qui mox fluere ceſſat, mox iterum et continuo largior per majora temporis ſpatia profluit, praecipue ſi digito grumi ſanguinis ſpongioſo illi corpori adhaerentes auelluntur; vehementiſſimum vero profluuium et continuo riuo proſilit, quum jam partus dolores accedunt, ſegmentum vteri inferius magis magisque diducitur; quo ipſo etiam haec ab aliis vteri haemorrhagiis ſatis diſtinguuntur, quippe illae doloribus accedentibus imminuuntur, profuſiores in interuallis.

Poteſt etiam haemorrhagia vteri in parturientibus contingere, ſi vaſa quae in chorda umbilicali continentur, rumpantur *b*), quod in iis foetibus interdum euenit, quibus funiculus vmbilicalis crebras circa collum circumuolutiones facit, quibus ad ſe inuicem attritis varices, qui in vena vmbilicali toties obſeruantur, rumpuntur, et ſanguinem fundunt. Aliquando totus funiculus disrumpitur, ſi nimis breuis eſt, et nimis firmiter placenta cum vtero cohaeret, quam vt is quodammodo cedere poſſit *c*). Interdum majus vteri vas partus tem-

b) DE LA MOTTE Traité des accouch. L. III. C. VIII. obſerv. 21.

c) LEVRET Suite des obſerv. p. 187. PEV Lib. cit. p. 454

tempore rumpitur et haemorrhagiam excitat, quod tamen melioris ominis eſt, quam ſi ipſius vteri parietes partus tempore rumpuntur; quod licet rarius, aliquando tamen obſeruatum fuit *d)*, nimirum ob iniquum, maxime transuerſum foetus ſitum, vterum obliquum, caput nimis amplum, inaequalem ex vteri tumoribus, ſcirrhis, laterali placentae adhaeſione, validorum dolorum actionem; calcitrationem foetus, dum capite in anguſta nimis pelui inclauato haeret; conuulſiones infantis dum jam morti proximus eſt; nimiam vteri tenuitatem; peluis anguſtiam; illatam vtero ab abdominis percuſſione, imperita obſtetricis manu violentiam; qua cum vteri ruptura ſanguinis non ſolum ex genitalibus externis, ſed in internam quoque abdominis cauitatem profuſio conjuncta eſſe ſolet.

§. X.

Puerperas quoque non raro vteri haemorrhagiis corripi ſupra diximus. Hoc vero contingit, ſi in feminis poſt partum, licet felicem, ſiue toleratis doloribus, ſiue animi affectibus, medicamentis ſpirituoſis, juſculis nutrientibus, aromaticis, adeo ſanguis commouetur, vt per dilatata et adhuc aperta vteri vaſa cum vi erumpat, quod eo facilius eueniet in iis, quibus fluida juſto tenuiora ſunt et ſolida flaccidiora, quarum ideoque vterus debilius et len-

d) Vid. de his Ill. CRANTZ Comment. de rupto in partus doloribus a foetu vtero.

lentius ſe contrahit. In quibusdam ſola inertia vteri accuſari poteſt, a nimia ipſius dilatatione, ſiue ob excedentem foetus molem aut numerum, ſiue ob nimiam aquarum copiam producta; quodſi enim ex hac cauſa vterus poſt foetus excluſionem non contrahitur, et vaſorum orificia hac ipſa contractione non clauduntur, tunc etiam rite peractis omnibus, quae partum conſtituunt, puerpera ex haemorrhagia facillime perit *a*). Alias vero retenta quaedam in vtero haemorrhagiam excitant, ſi enim vel velamentorum aut placentae pars, aut grumi ſanguinis in vteri cauitate remanent, non ſolum ejus contractioni reſiſtunt, ſed ſimul irritatione ſua ſanguinis ex apertis vaſis effluxum ſuſtinent. Hoc vero contingit, ſi pars placentae major vel minor vtero adhuc accreta manet ob nimis arctam et firmam cohaeſionem, ſiue quod iners ob modo dictas cauſas vterus contractione ſua placentam ſeparare non potuerit; ſiue quod ob placentae extra fundum vteri ſitum, inaequaliter vterus ſe ſe contrahat, vnde interdum placenta in peculiarem ab vtero factum ſacculum aut diuerticulum includitur *b*), et retinetur. Interdum vero placenta libera in cauo vteri remanet, ſiue quod arctius jam vteri orificium clauſum fuerit, ſiue ipſa nimiam molem habeat, ſiue funiculus

a) LEVRET. Suite des obſerv. p. 261 et ſeqq.

b) PEV Lib. cit. p. 494. 511. 512. 518. LEVRET Suite des obſerv. p. 119. ſeqq. HEISTER Inſtit. Chir. T. II. S. V. C. 154. §. 6. VAN DOEVEREN Spec. obſeru. acad. C. XI. §. 10.

culus vmbilicalis nimis tenuis sit, quin ejus leui tractione educi queat, et vterus illam non expellat; quo casu non minus vehemens haemorrhagia oriri potest, nisi mox vterus circa placentam se se contrahat, et suorum parietum ad placentae corpus applicatione vasa sanguinem fundentia claudantur. Eadem ratione etiam grumi sanguinis in vteri cauo retenti nocent; quandoque enim contingit, vt post primam sanguinis effusionem a partu os vteri constringatur, sanguisque in vterum affluens in grumum concrescat, qui si tandem exprimatur, copia denuo sanguinis ob hiantia adhuc vasa exit, quod interdum repetitis vicibus fit, nouis semper grumis generatis et expulsis, qui tanto minores euadunt, quando vterus contractior cauitatem suam minuit, vsque dum minima relicta cauitate fluidus tantum sanguis moderato flumine exit; interdum vero talis thrombus orificium vteri obturat, et tunc si flaccidus vterus circa ipsum se se non contrahat et illum expellere valeat, vterus denuo distenditur, vsque dum aut sponte aut per artem obstaculum soluitur, et retento sanguini via aperitur. Tandem etiam ipsius vteri laesiones haemorrhagias puerperarum non raro producunt, siue rudi obstetricis manu placentam separante et extrahente, siue violento et subito foetus exitu, siue aliis causis inductae fuerint.

§. XI.

§. XI.

Praeter verum embryonem etiam alia corpora in vtero interdum continentur, quae mox cum vteri ſubſtantia vnum perpetuum corpus efformant, mox libera ſunt et vtero contigua, atque molarum nomine inſigniuntur. De ſpuriis quidem molis, quae ſine praeuia conceptione ex ſanguine in vteri cauea ſubſiſtente aut ex polypoſa fundi vteri excreſcentia fiunt, jam diximus, quod non raro haemorrhagias excitent, ſed etiam legitimae molae, quae ſine praeuia conceptione non fiunt, ſed vel ex ouo deformi, in quo partes embryonis et ſecundarum deſtructae diſtingui vix poſſunt, vel ex placenta abortiui foetus relicta componuntur, vteri haemorrhagiae anſam praebere poſſunt; quae enim molam gerit femina eadem fere ſymptomata experitur, ac illa, quae verum embryonem alit, et mola non minus ac abortus cum ſanguinis profluuio excluditur, quod non ceſſat, vsque dum alienum hoc corpus ex vtero vel ſponte exierit, vel arte extractum fuerit *a*).

§. XII.

Praeſagium de exitu vteri haemorrhagiae ſiue ſalutari ſiue funeſto attentionem ad multa poſtulat,

a) LEVRET Suite des obſerv. p. 291. et ſeqq. MORGAGNI de ſed. et cauſ. morb. Epiſt. XLVIII. art. 14. VAN SWIETEN. Comment. T. IV. §. 1326. LAMZWEERDE Hiſtor. natur. mol. Vteri.

praeſertim vero ad cauſarum varietatem. Si ergo in virginibus vel puerperis, quae nullo vteri vitio vexantur, ex vniuerſali ſanguinis circulatione, aut congeſtionibus ad vterum per animi affectus, diaetae vitia, febres, aliasue enarratas cauſas originem duxerint, nullum plerumque adeſt periculum, niſi profluuia modum nimis excedant, aut frequentius reuertant, ita vt ſanguis exhauriatur, indeque animi deliquia, ſpaſtica, aliaque ſymptomata, vel cachexia et hydrops oriantur. Grauiores ſunt vteri haemorrhagiae, quas localia vteri vitia, vlcera, ſcirrhi, cancri alunt, niſi haec ipſa tolli poſſint, quin repentinam mortem interdum afferunt, ſi majores vaſorum rami rumpantur, aut erodantur. Quae ex vteri polypis oriuntur, lethales eſſe poſſunt ob nimiam ſanguinis effluentis copiam, modo memoratis vero benigniores ſunt, quia ipſarum cauſa facilius tolli poteſt. Grauidarum vero haemorrhagias quod attinet, nullum periculum adjunctum habent, quae ex ceruicis vteri ſubſtantia vel ex vagina proſiliunt; periculoſae vero ſunt, quae ex placentae ſolutione contingunt, non ſolum enim foetus pernicies inde imminet, ſed etiam matri ob inanitionem vaſorum animi deliquia et conuulſiones minantur, praeſertim ſi eo tempore eueniant, quo vteri vaſa maxime ſunt diſtenta, id eſt, vltimis grauiditatis menſibus; cum ex aduerſo, ſi quartum vel quintum menſem non ſuperauerint grauidae, raro pereant, niſi alius morbus periculoſus ſimul

adſit,

adſit, vel neceſſarium auxilium defuerit, vel excuſſo foetu ſecundinae vel grumi ſanguinis in vtero remanſerint, quae haemorrhagiae reditus faciunt, vel localia vteri vitia adfuerint. Quae a placentae nexu ad orificium vteri oriuntur, ſemper ſummum periculum adducunt, foetum facile vita priuant, et matrem niſi cito juuetur, ſub animi deliquiis, neruorum diſtenſionibus, vel in puerperio ex debilitate, morti tradit. Quae a ruptura vaſorum chordae vmbilicalis contingunt, matri non adeo ſunt periculoſae, et ceſſant ſimul ac infans prodiit, foetui vero debilitatem vel mortem inducit. Haemorrhagiae, quae a laeſione vteri proueniunt, funeſtae admodum ſunt, vterus cum laeſus non tam facile ſe contrahere poſſit, et niſi ex haemorrhagia, ex inflammatione tamen inſequente graue periculum metuendum eſt, quod eo majus et certius erit, ſi per totam ſubſtantiam vteri laeſio penetrauerit; tum enim non ſolum per vaginam ſanguis effluit, ſed etiam in cauum abdominis effunditur, ibi corrumpitur, hinc major debilitas, animi deliquia; et plerumque parturiens moritur conuulſa, et paucae omnino adſunt obſeruationes vteri in partu diſrupti, vita matris ſuperſtite *a*). In Puerperis vero haemorrhagia, quae aut ob inertiam vteri vel retenta aliena contingunt, lethales eſſe poſſunt, niſi cito artis periti auxilium accedat. Vetularum vteri haemorrhagiae, cum plerumque grauia vteri vitia,

 ſcirrhos,

a) Ill. CRANTZ l. cit.

ſcirrhos, aut vlcera conjuncta habeant, periculoſae omnino ſunt; licet enim plerumque diuturnae ſint et per menſes et annos effluere poſſint, tandem tamen ex ſanguinis inopia cachecticae, hydropicae et doloribus conſumtae moriuntur.

§. XIII.

Reſtat vt curationis haemorrhagiae vteri praecipua momenta afferamus. Supra jam notauimus, raro per vterum haemorrhagias ſalutares fieri, ſed eas fere ſemper morboſas eſſe; ideoque etiam plerumque medici auxilium requirunt. Cum vero diuerſiſſimas illarum cauſas eſſe viderimus, patet, generalem quandam medelam indicari non poſſe, ſed quamuis cauſam peculiaria auxilia poſtulare.

Vbi ergo extra grauiditatem haemorrhagia vteri contingit, neque ex vteri vitiis, ſed ex ſola plethora et orgaſmo ſanguinis natales ſuas habet, praecipua eſt indicatio copiam et rarefactionem ſanguinis, ejusque congeſtionem ad vaſa vteri minuere: Temperantia ergo, nitrum et acida, majoribus doſibus exhibita, potus frigidus acidulatus praecipua hic ſunt remedia. Aluus ſi tardior vel obſtructa ſit, citiſſime clyſteribus emollientibus, minime irritantibus, eſt ſoluenda. Si dicta remedia et corporis quies, ſitus horizontalis, aer frigidiuſculus, non ſufficiant ad haemorrhagiam minuendam, et vera adſit plethora, calor, et rubor corporis multum auctus, pulſus magnus et durus ſit, multum prodeſt venae-

venaesectio; emittendi vero sanguinis copiam determinabit profluuii vehementia, plethorae gradus, aegrarum vires: Semper vero ad causam simul attendendum est, quae forte orgasmum illum sanguinis excitet et augeat; praecipue ad colluuiei vitiosae primarum viarum signa; quae si manifeste se se prodant, cum temperantibus lenium purgantium antiphlogisticorum minores sed repetitae doses sunt exhibendae, quibus aluus liberior fiat, sordes ex primis viis educantur; acidorum etiam doses augendae sunt, inter quae spiritus vitrioli dilutus primum tenere locum meretur. Quodsi dolores dorsi et abdominis adsint, aegrae hystericae sint, ideoque turgescentia illa sanguinis ex parte spasmodica esse videatur, multum juuabit, leniora antispasmodica, liquorem anodynum, castoreum, cum temperantibus, et aluum ducentibus, acidis, conjungere, quae eo majoribus dosibus exhibere licet, quo certiora sunt signa turgescentiae spasmodicae ex hysterica neruorum sensilitate, quo minor plethorae et orgasmi inflammatoria indicia, ita vt vrgentibus talibus spasmis ipsum opium minoribus dosibus et caute adhibitum omnino locum habere possit, atque his remediis plerumque in dictis casibus haemorrhagia minuitur. Absint adstringentia fortiora interna, quae aluum obstruunt, sordes includunt, viscera obstruunt, chronicis variis morbis ansam praebent, nec haemorrhagiam tuto sistunt; licet enim adstringentia saepe juuent, si immediato contactu agant in

vaſa laeſa externa, nec tamen ſemper juuant, multo minus haemorrhagiae medentur, ſi interno eorum vſui committatur fluxus ſedatio, quippe prima ſua actione vaſorum abſorbentium in inteſtinis oſtiola conſtringunt, ſibi ipſis viam ad ſanguinem claudunt, et ſi etiam ſanguini admiſcentur, prius conſtringendo vaſa minima noxam inducerent. Quodſi ergo vaſorum laxitas, humorumque tenuitas, conſtringentia quaedam et inſpiſſantia poſtulet, ac plethora, ceteraeque cauſae, a quibus orgasmus pendere videbatur, antea ſublatae ſint, eligi debent remedia, quae minus adſtringente potiusque roborante vi pollent, et totius ſyſtematis neruoſi robur augent, ſolidis tonum reddunt, iisque juſto teneriori-bus juſtam compagem reſtituunt, majorem humoribus denſitatem conciliant, neque tamen orgasmo ſanguinis facile anſam praebent, ex quibus cortex peruuianus, caſcarillae, ſimarubae, etiam quin alumine interpoſitis, vt aluus libera ſeruetur, clyſteribus aut laxantibus, omnibus praeferenda ſunt. Neque externa remedia ſunt negligenda, ſi fluxus vehementia internorum remediorum efficaciam eludit, vel connubium cum illis aegrae et adſtantium ſolicitudo jubeat: Epithemata frigida ex aqua ſimplici vel aceto, nitro, ſaccharo ſaturni, vitriolo, compoſita, pubis regioni et genitalibus ipſis appoſita, et ſi neceſſitas extrema vrgeat, linteum contortum in peſſum efformatum, decoctis plantarum adſtringentium vel ſolutione adſtringentium minera-

lium

lium madida huic ſcopo inſeruire poterunt. Si vero his remediis ſedata fuerit haemorrhagia, ne redeat, omni ſtudio cauendum eſt. Quieſcat aegra leuibus tecta ſtragulis, ſupino decubitu in aere frigidiuſculo, caueat cibos nutrientes et ſimul calefacientes, quos toties offerunt beneuolae adſtantes, cibis vtatur lenibus acidulatis, potu frigidiuſculo acido. Medicus vero omnes cauſas, quae haemorrhagiae reditum promouere poſſent, remoueat, continuandus enim ſaepe erit, temperantium, leniter aluum mouentium vſus, ſi ſanguinis orgaſmus adhuc pergit, ſordium reſtantium ſigna adſunt, quin ipſorum vomitoriorum caute adhibitorum vſus, quae ipſa in vteri haemorrhagiis recte vſurpaſſe, tantum abeſt, vt nocere poſſint, vt potius interdum neceſſaria ſint; etiam vbi plethorae ſigna ſerius adhuc adſunt, ad praecauendum fluxum repetita venaeſectio multum faciet. Si obſtructio vaſorum, vti non raro fit, ſimul accuſanda venit, egregie conueniunt reſoluentia viſceralia, quae ſtaſes reſoluunt, mobiles reddunt, et educunt. Omnibus tandem ſublatis morbi cauſis roborantia, cortex inprimis peruuianus, adhibenda ſunt, vt ſolida roborentur, fluida denſentur. Si in febribus putridis et malo ſcorbutico ex nimia ſanguinis diſſolutione haemorrhagiae vteri proueniant, difficulter omnino tolluntur, neque aliis remediis cedunt, niſi quae principem morbum ſanant. Quae termino menſium aduentante mulierculis moleſta eſſe ſolet vteri hae-

morrhagia, eadem et ſub iisdem conditionibus remedia ſunt adhibenda, quae modo diximus, viſcerum praeſertim obſtructiones ſunt attendendae, plethora minuenda, praecauenda, et ſi hyſterici ſpaſmi concurrant, hi congruis remediis ſunt mitigandi. Vbi vlcera vteri haemorrhagiam fouent, illorum repurgatione omnis mali curatio nititur. Si ergo ex fluore albo eoque non venereo oriantur, omnia ſunt adhibenda, quae ſanguinis maſſam corrigunt, ſordes, praecipue in primis viis, quae tali fluxu laborantibus nunquam fere abſunt, remouendae, viſcerum obſtructiones reſoluendae, digeſtionis organa, totum ſyſtema neruoſum denique roboranda ſunt, ſi ex venerea cauſa vlcera originem traxerint ſpecifico ſuo tollenda. Vbi polypi fundi vteri adſunt, ligatura ſunt auferendi, ſecundum methodum a Cel. LEVRET *a*) deſcriptum.

§. XIV.

Grauidarum haemorrhagias vteri periculoſas admodum eſſe ſupra diximus, cum in illis plerumque ex placentae ſolutione contingant. Si vero talis haemorrhagia apparet, ſumma corporis animique quies feminis eſt commendanda, quieſcant in lecto leuiter tectae per plures dies ſitu horizontali in aere frigidiuſculo; caueant cibos nutrientes, calidos, potus

a) Obſerv. ſur la cure rad. des pluſ. polypes de la matrice. p. 58. et ſeqq. Mem. de l'Acad. Roy. de Chir. T. III. p. 518. et ſeqq. Eſſays ſur l'abus des regles general. etc. p. 198. et ſeqq.

potus ſpirituoſos, ſed diaeta vtantur antiphlogiſtica, non intermittatur brachii alterutrius venae ſectio, ſi illam indicant plethora, licet etiam modica ſit, aeſtus febriles, fluxus vehementia, iisdem medicamentis temperantibus, leniter aluum ducentibus vtantur, quae ſupra commendauimus. Et non raro hiſce remediis haemorrhagiam ſedare nobis contigit. Quod ſi vero placentae pars ab vtero eſſet ſoluta, dolores abdominis et lumborum adſint, orificium vteri laxatum, pleno riuo ſanguis et grumi concreti cruoris exeant, ſequente magna debilitate, nihil abortum impedire poteſt, quem niſi natura ſola perficiat, perita obſtetricis manu leniter vteri orificio binis digitis diducto, pedibus, ſi major fuerit foetus vel etiam capite, ſi medium terminum nondum attigerit, pro ratione partis oblatae, atque operatoris commodi, foetus extrahi debet; probe cauendo, ne placentae fruſtula aut ſanguinis grumi in vtero relinquantur, quae haemorrhagiam recidiuam facere, graues putridas febres producere poſſent: Nocent, qui haemorrhagiam hanc ſiſtendi gratia adſtringentia externa applicant, vel frequentibus venaeſectionibus feminas exhauriunt, illa enim vaſis hiantibus immediate nequeunt applicari, ſanguinis liberum effluxum impediunt, hinc retinetur in vtero, colligitur intra placentam et vteri parietes, ſolutionem placentae promouet; hoc ſanguinem quidem minuit, ſed ſine ſucceſſu, cum nexum placentae cum vtero non reſtituat. Praecauetur

vero

vero haemorrhagia in grauidis, ſi omnia euitent, quae ſanguinis verſus vterum congeſtionem producunt, ſordibus primarum viarum anſam praebent; etiam venaeſectiones plethorae reſpondentes multum cauebunt, ne praematura placentae ſolutio oriatur, licet falſam noxiamque ceterum habeamus multorum tum Medicorum tum muliercularum ſententiam, ſanguinem ſemper grauiditatis certis temporibus emittendum eſſe, nulla habita ratione temperiei et habitus corporis, multae enim hac ratione per totam grauiditatem languidae et infirmae fiunt, debilesque pariunt foetus, et magnas in puerperio ſuſtinent moleſtias.

§. XV.

Quodſi tempore partus haemorrhagia vteri contingat ex placenta oblata, protinus foetus extrahi debet, placenta ideo, ſi ſoluta jam in vagina haereat, cum ſanguinis grumis educatur, ſi vero integra vel portio ſaltem cum vtero cohaeret, relinquenda eſt, ne haemorrhagia ante foetus exitum augeatur. Manus ergo ad vteri orificium et ad locum vbi placenta haeret demittatur, orificium ſenſim diducatur, velamenta diſrumpantur, et pedibus foetus extrahatur. Etiam in reliquis parturientium haemorrhagiis ſola foetus ſolutio praecipuum auxilium praebet.

§. XVI.

Si ſtatim poſt partum magna ſanguinis copia ex vtero exeat, nouimus, placentam pro parte ab vtero eſſe ſeparatam, adeoque merito exſpectari poteſt integra ſeparatio, ſi cum prudentia et leniter trahatur funiculus vmbilicalis, et damnanda praxis eorum eſt, qui rudiori manu vel fortiter funiculum attrahunt, vel placentam ab vtero ſeparant, quibus interdum non ſolum vterus inuertitur, vulneratur, ſed etiam, ſi placenta feliciter ſeparatur, ſubita et profuſa fieret haemorrhagia, et valde periculoſa, niſi vterus ſtatim ſe contrahendo vaſorum amplitudinem minueret. Si vero placentae ſolutio nimis tarde contingat, et periculum haemorrhagiae vehementius minetur, vterus vero contrahere ſe ſe pergit, manu caute eſt ſoluenda et extrahenda; ſi integra ſit ſoluta placenta, eximenda eſt, vt integre euacuatus vterus ſe melius contrahere poſſit, et ſic haemorrhagia ſiſtatur. Si velamentorum pars, aut ſanguinis coagulati fruſtula in vtero relicta, haemorrhagiam excitant, neque breui ſponte expelluntur, manus in vterum eo fine immittenda, et in omni vteri ambitu caute et cum moderatione circumducenda eſt, ea caute comprehendenda et euacuanda, eadem vero in pugnum contracta ibidem relinquenda, donec aequali ratione vterus circa eam fuerit contractus, et hoc facto, ſucceſſiue cum euacuandis retrahenda. Si vero aliena illa corpora in vtero relicta in putridum inquinamentum ſunt

reſo-

reſoluta, naturam ope mundificantium et antiſepticarum injectionum ſubleuare conuenit, vt eo melius recrementum excernatur, vterusque a putredine vindicetur.

Si haemorrhagia in puerperis ex nullo vitio locali, ſed ſola ſanguinis ex ſupra dictis cauſis vehementiori commotione originem duxerit, eadem ſunt adhibenda remedia, quae de haemorrhagiis in virginibus ex iisdem cauſis vtilia eſſe diximus, nunquam inprimis leniora antiſpasmodica tum interna tum externe abdomini applicata ſunt negligenda, vt ſpasmodici motus in abdomine, haemorrhagiam plerumque ſuſtentantes, breui ſedentur, vteri aequalis contractio promoueatur.

Si ex ſola vteri inertia aut producitur, aut prorogatur haemorrhagia, irritabilitas vteri vt augeatur, primaria eſt intentio: Manu igitur orificio ejus admota leuiter, quo ſe conſtringat, irritatur, quo caſu etiam clyſteres ſubadſtringentes vteri injectae ſaepiſſime egregium vſum habuerunt. Interne roborantia efficaciora, cortex chinae, rhabarbarum, alumen, corticum aurantiorum ſubuiridium decoctum non ſine ſucceſſu adhibentur. Haemorrhagiae vteri ex molis eadem, quae illac ex abortu, requirunt remedia.



VIII.

Diſſertatio ſiſtens de dyſenteria analecta practica publice propoſita Goettingae d. 14. Menſ. Jul. 1768. Reſpondente ADAMO JVLIO GOETZE Frauenbreitunga-Meiningenſi.

§. I.

Ex inſigni morborum, qui genus humanum affligunt, numero, dyſenteriam quoque talis eſſe indolis nemo facile dubitauerit, vt in ejus natura curationisque certiori methodo accurate pernoſcendis haud nimium ſtudii quis medentium adhibere poſſit. Prae multis enim aliis morbis hic ipſe videtur eminere, tum grauioribus, quae excitat dolorum tormentis, tum vitae, quod non raro affert, periculo, tum et ipſa curationis, ad ſingulares aegrorum affectiones morbique ſpeciem rite inſtituendae difficultate, tum diuturniori, quam et ſaepe offendimus, pertinacia, tum denique ipſius epidemiae, qua vis hujus morbi late vagari ſolet, ſatis frequenti recurſu. Eo vero lubentius, quum Thema quoddam pro Specimine Inaugurali mihi eligendum erat, de hoc morbo diſſerere conſtitui, quod ipſe per ſeptem fere hebdomades, eodem epidemice tunc in Patria mea graſſante, et quidem vehementiori modo afflictus fuerim. Quamuis enim nec ideo facile

quid

quid noui promittere auſim, quod grauioris morbi vim, atque variam illius, qua vti mihi licuit, medicinae efficaciam in me ipſo perceperim, dubitare tamen minime potui, quin proprius, quem habui, moleſtiſſimorum hujus morbi ſymptomatum ſenſus animum adderet ad hujus morbi naturam et curationem ſtudioſius pro virium tenuitate diſquirendas, et facilius quodammodo redderet hocce negotium, ex academica lege a me nunc ſuſcipiendum.

§. II.

Si loco excretionis aluinae naturalis materia vel ſanguineo-mucoſa, vel mucoſo-purulenta non raro cum humore bilioſo et foetido, atque ſtercoribus praeter naturam mollibus fluidisue, cum torminibus ac teneſmo, ſaepius deponitur, affectio haec ex communi et ſtrictiori vocis vſu dicitur Dyſenteria. Ex his patet, quod non omnis effluxus materiae cujusdam ex inteſtinis, neque alius quisque morbus, cui excretio copioſior materiae ſolito fluidioris acceſſerit, pro Dyſenteria haberi poſſit. Satis vtique peruulgatum eſt, quid plerumque ſub Dyſenteriae vel difficultatis inteſtinorum nomine intelligamus. Atque, cum de illa ipſa, quae noſtris aliisque plurimis in terris maxime cognita eſt, hujus morbi ſpecie, *verae* aut *exquiſitae* cognomine, ſi libuerit, facile a ſpeciebus aliis diſtinguenda, nunc agere conſtituerim, generali definitione vix opus fore exiſtimo. Praecipuos autem Dyſenteriae,

verius

verius et ſecundum frequentiſſimum verbi vſum ſic dictae, characteres annotaſſe non plane praeter rem fore puto, qui breuiſſime frequentiori exponuntur atque torminoſa materiae mucoſae cum teneſmo, per aluum dejectione. Variae autem conditiones ipſorum corporum affectorum et cauſſarum vel manifeſtiorum, vel occultiorum, et morborum diuerſa tempora, plurima omnino maxime notabilia ſuggerunt, tum quoad ipſas alui dejectiones, tum et quoad ſymptomata aegris accidentia. Etſi quoque Dyſenteriae *Febris* quam frequentiſſime conjuncta reperiatur, et aliquando quidem inſtar ſymptomatis aut affectionis aliunde ſuperuenientis, ſaepius autem ſic, vt ex neceſſaria quaſi conjunctione indiuulſum morbi praebeat comitem; veriſſimum tamen et a febre omni immunes occurrere dyſenterias; vt ideo inde vera, quam experientia confirmet, vtilisque hujus morbi partitio conſtituatur. Valde quoque vſitata practicis diuiſio eſt inter morbum huncce *benignum* et *malignum*, habito ad ſymptomatum numerum et grauitatem, vitaeque periculum, etiam affectionis ad vſurpata remedia pertinaciam, reſpectu *a*). Ab indole autem varia febris conjunctae, vbi adfuerit, ſiue inflammatoriae, ſiue bilioſae, hujusque vel ſimplicis vel putridae, ſiue alius putridae continentis, praecipua inprimis Dyſente-riarum

a) conf. Cel. ZIMMERMANN *von der Ruhr, X. Cap. pag.* 332. 335.

riarum differentia elucet, quae et permagni in eligenda curationis methodo momenti eſt. Ceterum haud eſt, quod immoremur in recenſendis minus exquiſitis ſiue ſpuriis dyſenteriis, quae vel alii morbo critice aut ſymptomatice accedunt, vel ex nimia ſaltim plenitudine vaſorum ortum habent *b*), quum has non difficulter a veriori, quam tractamus, quisque diſtinguere nouerit. Contingit etiam aliquando ſub Dyſenteriae epidemia quibusdam aegris dejectionem haud ſanguinolentam eſſe, et quidem ſaepius ſub initio et fine, nonnunquam per integrum decurſum morbi, quamuis tunc reliqui Dyſenteriae characteres adſint; atque hunc fluxum complures Dyſenteriam albam nuncupauerunt *c*).

§. III.

Dyſenteria vero exquiſita, quoad indolem ſuam, talis vtplurimum eſt morbus, qui rariſſime ſporadicus, ſed potius plerumque popularis exiſtit, varioque vehementiae et malignitatis gradu incedit; et quo grauior is et malignior eſt, eo facilius quoque ſanis in corporibus propinquis ſui ſimilem producere valet *a*), materie exhalationum ex aegris eorumque excretis ad corpora ſanorum translata, qui commercium cum adfectis habuerint. Siue nunc miasma humoribus in primis viis cum ſaliua infecta

b) Ibidem p. 352. Conf. SAVVAGES *noſol. meth. T. III. P. II. pag. 85. ſeqq.*

c) ZIMMERMANN. *l. c. p.* 348.

a) Idem l. c. p. 342.

infecta fuerit admixtum, ſiue vaſis pulmonum aliisue inhalantibus abſorptum, in corpus penetrauerit, pro ratione propriae efficaciae et aptae ad morbum recipiendum in altero corpore conditionis, hujus alterat humores neruosque totius corporis, et illos praeſertim officinae chylopoieticae ſpecifica ratione afficit, eoque tandem fit, vt morbus idem cum illo, qui contagium ſparſerat in alio corpore generetur. Morbus hic ideo ſine dubio plerumque contagioſus merito habetur, quoniam, quando graſſatur, propinquiores aegris homines longe facilius, alios autem, qui commercium cum aegris euitare ſtudent, minus, rariusque inuadit. Aliquando longum terrarum tractum occupat, quid? quod FERNELIVS meminerit *dyſenteriae anno* 1538. *per vniuerſam Europam populariter graſſantis b*). Plurimorum quoque Medicorum fide digniſſimorum obſeruationes clare confirmant, morbum hunc plerumque non ſolum epidemice magis minusque per populum vagari, ſed per ipſum quoque contagium latius ſpargi ſolere. Ampliſſima diues experientia F. HOFFMANNVS dyſenteriam affectionibus contagioſis diſerte adnumerat *c*) traditque idem alibi ſequentibus verbis: *notari adhuc circa dyſenteriae hiſtoriam meretur, quod ſaepenumero contagioſa exiſtat d*).

X 2 Pari-

b) *de abd. rerum cauſis, Libr. II. Cap. XIII.*

c) *Med. rat. ſyſt. T. I. P. II. Cap. III. p.* 203.

d) *l. c. T. IV. P. III. p.* 531.

Pariterque SYDENHAMVS *e*), HVXHAMVS *f*), DEGNERVS *g*), PRINGLIVS *h*), TISSOTVS *i*), ZIMMERMANN *k*), eandem vix aliter quam epidemice et contagioſe graſſantem deſcripſerunt. Sic enim ex ſolo ſordium aluo rejectarum odore, malum ad alios propagari, praeter communem experientiam, inſigni caſu teſtantur ACTA NATVRAE CVRIOSORVM *l*). Lac etiam matrum Dyſentericarum infantibus eandem labem affricare obſeruatione conſtitit *m*). Cum itaque experientia nos de epidemica et contagioſa hujus morbi indole ſatis certiores reddat, non mirandum, quod vtplurimum ſymptomata malignitatis ſecum ferre deſcribatur, quoniam frequentius epidemica quam ſporadica deprehenditur; atque illa omnino frequentius maligna ſit, quam vbi ſingulares cauſae in vno vel altero ſaltim hunc morbum excitauerint. Longe enim abeſt, vt in dubium vocemus, etiam ſine epidemia et ſine contagio eum exiſtere poſſe, quoniam experientia nos ſatis edoctos reddit, quod nonnunquam hic aut illic ſporadice pedem ſuam figat, absque ſymptomatum vehementia aut periculo et extra omnem ſtatum contagioſum, ita, vt ſub his

con-

e) *Oper. Med. T. I. P. IV. Cap. III.*
f) *Oper. Phyſico-Med. T. I. Vol. II. p.* 283.
g) *Hiſtor. Dyſent. bilioſo-contag p.* 33. 36. 48. 120.
h) *Beobacht. über die Krankh. einer Armee, P. III. S. I.*
i) *Avis au Peuple ſur ſa Santé, T. II. Chap. XXIV.* §. 330.
k) *l. c. pag.* 341.
l) *dec. II. ann. 6. obſ.* 25. Ceterum conf. PRINGLE *l. c. p.* 25. 97.
m) *dec. II. ann. 6. obſ.* 195.

conditionibus benignum vocari fas ſit. Similiter quoque deficere contagium ſolet in pluribus Dyſenteriae ſymptomaticae minusque exquiſitae ſpeciebus, quales Dyſenterias jamiam apud HIPPOCRATEM *n*) deſcriptas legimus. Tempus vero anni, quo adpareat Dyſenteria, non plane quidem certum eſt, nam accidit, vt aliquando maturus, nonnumquam ſerius verſus autumnum graſſari incipiat, attamen vero ex plurimis obſeruationibus Medicorum peritiſſimorum conſtat, quod Menſe *Auguſto*, *Septembri* et *Octobri* praecipue homines infeſtare ſoleat. Ita enim SYDENHAMVS quoque docuit inquiens: *animaduerti morbum hunc, vti nunc, ita fere ſemper autumni initio inuadere ſolere, et appropinquanti hyemi pro tempore cedere o*). Sed etiam experientia docet, quod non abſolute et neceſſario his in menſibus ſolis ſe ſiſtat, ſed vt etiam aliud tempus eam producere vel admittere aptum ſit. Ipſe modo allegatus SYDENHAMVS hanc ſententiam obſeruatione ſua ſtabiliuit, quando loco citato ſic loquitur: *cum vero annorum ſeries eidem epidemice producendo nimium faueat, vnum alterumue etiam quouis alio tempore poteſt ferire; quin et circa veris ingreſſum, forte etiam maturius (ſi nempe aura calidior intemperantiori gelu derepente ſoluto mox ſuperuenerit) plures aliquot inceſſere.* Sic HIPPOCRATES etiam de Dyſente-

 ria

n) *Epidemic. IV.* edit. LIND. *T. I. p.* 759. *et aphor. VII. ſ. VI.* 48.

o) *T. I. S. IV. Cap. III. pag.* 108. *et* 109.

ria aestatis mentionem facit, quando inquit: *Si hyems sicca et aquilonaris fuerit, ver autem pluuiosum et austrinum, necesse est aestate febres acutas fieri et ophthalmias et Dysenterias p*); BARTHOLINVS *q*) de Dysenteria, quae in aestate Hafniae grassata fuit, nos certiores reddit. Ex his luculenter patet, quod etiam de existentia Dysenteriae aestiuae haud dubitari possit. HVXHAM *r*) meminit Dysenteriae, quae ab initio Aprilis ad Maii finem durauit, et PRINGLE *s*) tam de vernalibus quam autumnalibus Dysenteriis nobis obseruationes exhibet. Attamen vero satis compertum est, quod Dysenteria non frequens sit veris soboles, et quod hyems ei obesse videatur, prouti SYDENHAMVS aperte docuit *t*), cui et TISSOTVS adstipulatur, inquiens: *Elle commence quelque fois à la fin de Juillet, plus souvent au mois d' Août, et finit quand les gêlées commencent u*).

§. IV.

Quod vero Dysenteria morbus saepe sit periculosus et acutus, tum vulgari constat experientia, tum et idem patet e symptomatibus, aeque ac essentialibus, variis accidentalibus, quae vtraque non raro grauioris indolis reperiuntur. HIPPOCRA-

TES

p) *S. III. aphor. II.*

q) *Cent. II. Hist. anat.* 65.

r) *T. I. Vol. II. pag.* 284.

s) *Part. III. Sect. I.*

t) *S. IV. C. I. et III.*

u) *libr. cit. T. II. chap. XXIV.* §. 330.

TES *a*) hoc ipſum jam docuit, morbum huncce grauem periculoſum vocans, etiam SYDENHAMVS, qui *niſi perite tractetur*, inquit, *ingens etiam in vitae diſcrimen perducit b*). Hanc ſententiam veriſſimam eſſe neminem facile inficias iturum credo, qui vel ipſemet ad morbi hujus epidemice alicubi ſaeuientis vim attentionem quandam adhibuit, vel, quae de illa proſtant, optimorum virorum hiſtorias quodammodo conſuluit. Neque valde rarum, quosdam, licet acuti morbi ſtadium ſuperauerint, et periculum effugiſſe videantur, tamen aliis morbis ex eadem ortum ſuum habentibus, veluti hydrope, lienteria, affectione coeliaca, aliaue chronica diarrhoea, etiam tabe vel hectica, aut ipſius dyſenterici fluxus recidiua, ſimiliue mitiori affectione in conſuetudinem abeunte, tandem conſumi. Nulli vero ſexui nec aetati parcit hic morbus, ita, vt nec tenelli lactantes, in ipſis adhuc degentes incunabulis, ab illius tyrannide ſint immunes, attamen vero, dum adultos corripit, his periculoſiorem quam infantibus tenesmum, nonnunquam per plures hebdomades perſeuerantem relinquit, de quo SYDENHAMVS etiam ipſe refert: *hic autem morbus licet adultis, maxime grandaeuis, haud raro exitialis, infantibus nihilominus perbenignus reperitur c*). In primis vero huic morbo ſunt obnoxii plethorici, bi-

 lioſi,

a) *Libr. II. de vict. rat. S. IV. p.* 39. *nro.* 30.
b) *T. I. S. IV. Cap. III. p.* 109.
c) *T. I. S. IV. Cap. III. p.* 110.

lioſi, et quorum ventriculus inſigniori laborat imbecillitate, eosque etiam grauius vexat, qui inordinata vſi fuerunt diaeta, etiam qui victum animalem largiori fruuntur copia. Prae aliis etiam Dyſenteriae ferocitati expoſiti ſunt, qui ſeſe calefactos, per noctes potiſſimum, frigidiori exponunt aurae, vnde militibus in caſtris degentibus, illa tempeſtate reſpondente, maxime familiaris eſt.

§. V.

Dyſenteriam, albae nomine diſtinctam, periculo longe ſuperare rubram, vulgo creditur. Minime vero abſolute affirmari poſſe, quamuis Dyſenteriam, vbi materia albicans ex inteſtino recto profluit, ſemper acutiorem ea, in qua materia cruenta excernitur, adpellandam eſſe, nobis perſuaſum habemus. Eo nimirum res redit, an materia albicans egreſſa ſit materia purulenta, vel cum vel ſine pituita commixta, an ſit ſola pituita, vel cum ſtriis ſanguineis miſta vel non; in priori caſu quilibet conuincitur, ejusmodi dyſenteriam, qua materia purulenta ejicitur, maligniorem et periculoſiorem eſſe illa, in qua fluxus mere pituitoſus exiſtit, hinc etiam ſequitur, quod talis Dyſenteria purulenta, ſine dubio facile grauiori cum periculo conjuncta eſſe poſſit, quam Dyſenteria ordinaria cruenta. Vbi enim aſſidue tenacior, paucus, acer et ſubuiridis promanat humor, exulceratam eſſe aliquam inteſtinorum partem merito ſuſpicamur;

quod

quod ipſum ſectiones quoque cadauerum hoc affectu ex vita diſceſſorum confirmarunt, quas FONTANVS, BARTHOLINVS, BARBETTE, aliique inſtituerunt *a*). Quo magis vero vel minus exulcerata ſunt inteſtina, eo grauior vel mitior eſt affectus. Haec exulceratio vero inteſtinorum originem ſuam facile ab aliqua leuiori grauioriue illorum inflammatione praegreſſa habere poterit, quae ſua natura in ſuppurationem tendit, ex qua tandem vlcera proueniunt, quae tunicam villoſam aliasque inteſtinorum membranas corrumpunt, humorique purulento, vnde Dyſenteria alba adpareat, ſed ſubinde tamen ſtriis ſanguineis diſtincto, atque particulis membranoſis aut carnoſis commixto, per aluum excernendo anſam et materiem praebet. Dyſenteria igitur alba pro diuerſitate materiae effluentis, et pro varia ſede vlceris, ſi hoc praeſens eſt, vel magis vel minus periculoſa exiſtit; attamen illa poſterioris generis rarior obſeruatur affectus, quoniam, niſi ſanitas reſtituatur, ex acutiori morbi ſtadio gangraena inteſtinorum frequentius, quam ſuppuratio et exulceratio, vbi inflammatio acceſſerit, neque haec ſolui poſſit, Dyſenteriae decurſum ad finem perducunt.

§. VI.

Symptomata vero morbi dyſenterici in ea commode diuidi poſſunt, quae ante ejus acceſſum,

 et

a) *conf.* BONETI *Sepulchr. L. III. S. XI. et* MORGAGNI *de ſed. et cauſ. morbor. Epiſt. XXXI.* PRINGLE *l. c. p.* 241.

et quae illo praeſente obſeruantur; nam rariſſime ejusmodi inueniuntur dyſenteriae, quas non certae affectiones prodromorum inſtar praecederent. Hae vero ſunt: laſſitudo totius corporis, animique deficiens hilaritas, ventris non raro aliquis tumor cum leuioribus in abdomine doloribus et borborygmis. Frequenter, prouti quoque CAELIVS AVRELIANVS *a*) pluresque obſeruauere, quod mihi etiam ipſi accidiſſe memini, Dyſenteriam aliqua diarrhoea cum torminibus antecedit. Praeuia aliquando ſunt ciborum faſtidium et oris amarities et vomendi conatus, et alui ſegnities. Nonnunquam vero ſine omni inſtantis mali indicio morbus grauiori modo cum febre atque frequente torminoſo dejiciendi conatu, eoque nunc irrito, nunc ſuccedente excretione faecum fluidiorum inuadit. Plerisque autem, niſi leuioris naturae morbus futurus ſit, ipſius initium fit cum vario algoris in corpore ſenſu, interdum vehementiori, nonnunquam mitiori, diuerſae diuturnitatis, de quo notabile, quod quo grauior et vehementior hic fuerit, eo difficilior morbus euadere ſoleat. Attamen contingit quoque febrim dyſentericam, aliis e ſymptomatibus calore praeſertim, lingua ſicca, ſiti, laſſitudine, vere praeſentem agnoſci, quum nullus praeiuerit ſenſibilis horror. Quod ipſum HVXHAMVS teſtari videtur inquiens: *ab ipſo ſaepe principio atque ante vlla tormina haud leuis vrgebat febriculoſus ardor* cum

a) *Libr. IV. morbor. chronic. Cap. VI.*

cum pulſu incitatiori et lingua ſcabra, dum addit ſequentia: *quid? quod et ſaepiſſime cum manifeſto ſatis horrore ingruebat morbus b*). Minime vero nos affirmare auſi ſumus, quod nulla Dyſenteria exiſtere poſſit ſine febre manifeſta conjuncta, ſed dantur quoque tum ejusmodi, in quibus dubii ſunt febris characteres *c*), tum aliae in quibus hi ipſi non perpetui ſunt, teſtante SYDENHAMO, qui refert: *Febris nunc iis acceſſit nunc aberat d*), tum denique tales, iidemque faciliores et mitiores, quibus nulla plane febris accedit. Saepe nulla vel exigua modo febris, Dyſenteriae initio et per aliquam ejus decurſus partem animaduertitur, verum dein ad eam accedit, aut grauior, maligniorque fit, quando jam Dyſenteria per memorabile temporis ſpatium durauit, obſeruante PRINGLIO *e*). Attamen vero compertum eſt, quod aliqua plerumque febris cum Dyſenteria ſit complicata, rariſſimeque per integrum ejus decurſum plane abſit. Variat vero haec febris pro ratione conditionum corporibus inhaerentium atque conſtitutionum epidemicarum, cum nimirum interdum benigniorem, ſubinde vero maligniorem indolem ſecum fert. Plerumque omnino ex genere bilioſarum eſt, quae autem aliquando magis ad naturam inflammatoriarum, nonnun-

quam

b) *T.* I. *Vol.* II. *p.* 284.

c) *conf.* ZIMMERMANN *von der Rubr*, *p.* 323. *et* 324.

d) *S.* IV. *Cap.* III. *p.* 108.

e) *P.* III. *Cap.* VI. *pag.* 239.

quam vero magis ad illam putridarum accedit. In primis diebus ſaepius minus inde ſentitur incommodi, dein autem ſymptomatibus grauioribus haud raro pateſcit, pulſu nimirum duriori ac celeri, ſiti vehementi, peruigilio, anxietatibus, ſiccitate oris, ſapore aduerſo et nauſeoſo, calore corporis moleſto, dolore capitis, aliisque in febribus ſolitis adfectionibus. Licet etiam ſymptomata febrilia in primis diebus mitiora eſſe videantur, non tamen ideo ſtatim febris haec et conjuncta Dyſenteria benignioris habendae ſunt indolis, ſiquidem malignitas morbi ſub leuioribus ſymptomatibus non raro ſe abſcondit ita, vt ejus natura aliquamdiu cognitu difficilis ſit; vti ill. ZIMMERMANNVS notauit, inquiens: *Man ſoll eine Ruhr nicht ſo leicht gutartig halten, wenn gleich die Zufälle nicht gleich Anfangs ſchlimm ſind, weil in dem nemlichen Falle alles unter gewiſſen Vmſtänden ſehr ſchlimm werden kan f*). Atque de tali Dyſenteria febrili malignae indolis notatu dignum, quod fere omnia illa ſymptomata, quae in febribus aliis bilioſis putridis, atque in putridis ſimplicibus occurrere ſolent, etiam illi morbo magis magisque increſcenti accidere queant g). Subſequuntur ſtatim initio, aut jam antecedunt febrim haud raro, vomendi conatus, et ſaepe vomitiones materiae bilioſae, ſemper vero ſatis atrocia imi ventris tormina, poſt quae dejectiones cum tenesmis

f) *lib. alleg. Cap. X. p.* 342.
g) *conf.* ZIMMERMANN *l. c. Cap.* III. *p.* 20. *ſeqq.*

mis contingunt, ſub quibus, iisdemque finitis ingens inde cruciatus oriri ſolet, quod inteſtina deorſum vrgeantur, atque tum ſaepe aluus, magna ex parte irrito conatu eodemque doloroſo, ad deponendum ſtimuletur. Primum autem faeces in inteſtinis contentae, ipſa nempe recrementa ciborum et colluuies bilioſa praeter naturam foetida, poſtea vero materia mucoſa et haud raro quaſi adipoſa et ſpumeſcens cum ſanguine permixta excernitur. In quibusdam ſucceſſu temporis eo res peruenit, vt quoque membranulas et corpuſcula carnoſa, cum vel ſine pure et ichore dejiciant; in nonnullis, vt ſupra jam memoratum, ſanguis in dejecta materia vel plane deficit, vel rarius in conſpectum venit, licet omnia reliqua ſymptomata aeque grauia et periculoſa ſint ac in aliis, qui ſimul cruenta excernunt. Stercoroſae quaedam dejectiones naturalibus non plane diſſimiles etiam aliquando meliori omine interponuntur; et contra nonnunquam loco priorum ſanguinearum ſincerus ſanguis largiori quantitate egeritur, qui vel corroſionis majorum vaſculorum, inteſtina perreptantium, vel maſſae ſanguineae nimis diſſolutae, vel congeſti ad haemorrhoidalia vaſa ſanguinis indicium praebet, atque vbi priores cauſae praeſto fuerint aegro plerumque interitum minatur. Minus frequenter et ſaltim ſero nonnunquam materia ſola purulenta, quae factam denotat exulcerationem, deponitur. Tormina illa memorata non in vno loco fixa ſunt, ſed

per

per totum canalem alimentarium vago itinere progrediuntur, dum promota ex loco in locum acris materies nouos doloroſos inteſtinorum ſpasmos, motumque periſtalticum inordinatum facile excitat. Nonnunquam dejectionibus dyſentericorum multi praeter expectationem vermes eliminati fuere; qualem Dyſenteriam HVXHAMVS obſeruauit, de qua refert: *vermes teretes fere ſemper ejiciuntur etiam ab adultis, immo et a ſenioribus h*), hosque ab immenſa copia fructuum eo anno, quo ſaeuiit illa Dyſenteria, ſcatentium, quibus abuti ſoleret vulgus, ortum habuiſſe credidit. Alibi addit ſolertiſſimus idem obſeruator de dyſentericis: *perplures lumbricos dejiciunt, nec tamen inde multum leuantur, immo ſaepe haud multo poſt frigido ſudore correpti mox animam agunt: credo quod gangraenoſa ſanies foedos hos inquilinos expellat.* Bene quoque notauit PRINGLIVS *i*) in febribus epidemicis bilioſis atque Dyſenteriis lumbricorum teretium ejectionem frequenter contingere, ſed illam ſententiam haud amplectitur, quod ex vermibus iſti morbi originem habeant, attamen aegrotantium conditionem inde fieri deteriorem, tradit. Tenesmus, qui dejectiones comitari ſolet, non raro adeo magnus ac vehemens eſt, vt illum interdum ſequatur ani procidentia; atque tunc facile ſuboritur inteſtini recti inflammatio, etiam periculoſa, et aegro ſemper moleſtiſſima. Summa ex his

h) *Tom.* I. *pag.* 283.

i) *Part.* III. *Cap.* VI. *Sect.* I. *pag.* 8. 9. 28. 187.

his adfectionibus in aegris enaſcitur inquietudo, atque ſomnus praedejectionum frequentia ſaepiſſime interrumpitur, niſi ex prouida medentis cura leuamen accedat; vires magis magisque conſumuntur, grauioribusque ſenſim ſymptomatibus anſa praebetur.

§. VII.

Grauiora autem aeque ac mitiora ſymptomata dyſenterici morbi, partim acrimoniae debentur humoris, plerumque biliosi ad primas vias delati, eo majorem efficaciam nociuam exſerentis, quo major ejus copia collecta fuerit, quo magis iſtorum indoles ex putrida quadam corruptione a naturali conditione ſua receſſerit, et quo irritabilius ipſum ſyſtema neruoſum fuerit; partim vero propius a febre conjuncta et humorum integra maſſa magis minusue alienata, partim a dejectionum inſigni frequentia ſuam nanciſcuntur originem. Neque raro talis apparet rerum conditio, vt pluribus harum cauſarum concurrentibus, et conſociata efficacitate operantibus, quaedam ſymptomata et major eorundem gradus tribuendus videatur. Praeter ea, quae jam recenſuimus, aegris moleſtiſſima mala, nec difficulter ex memoratis cauſis intelligitur inflammationis inteſtinorum ortus, cujus praeſentia in decurſu Dyſenteriae, in primis neglectae et male tractatae, apud non paucos, propriis ſuis ſignis declaratur. *Vix vnquam vtique*, Celebris ait HVXHAMVS,

HAMVS, *datur Dyſenteria epidemica, vbi inteſtina non ſunt, aliquo ſaltem gradu inflammata a).* Eidemque Praeſtantiſſimus quoque ZIMMERMANNVS fere adſentitur *b*). Bene tamen et probabili ex ratione hic ipſe quoque docuit, neque tormina, neque dejectionem cruentam, nec ipſum ardoris in abdomine ſenſum, ſubortam inflammationem ſatis comprobare. Ideoque niſi ex hypotheſi praeſentiam occultioris inflammationis ſuſpicari velimus, attendendum ad fixam doloris cum aliquo ardore et pulſatione ſedem, ad difficiliorem vel impeditam alui excretionem cum nauſea et vomitionibus denuo incidentibus, ad arteriarum pulſum quodammodo nunc duriorem factum, horumque omnium ſymptomatum ex aliquo horrore aut rigore initium. Ejusmodi vero niſi mature ſoluatur manifeſtior inflammatio, ea vel in ſuppurationem tendit, vel gangraenam ſemper lethalem, quam ex imbecillitate totius corporis et animi, pallore faciei, oculis tortuis, dolorum ceſſatione, ſingultu, deliriis plerumque tranquillis, ſudore frigido, dejectionibus nigris, et cadaueroſo foetore praeditis, facile plerumque cognoſcere licet. Ipſi quoque febri, quae cum Dyſenteria conjuncta reperitur, bilioſae varioque gradu putridae indolis, haud pauca tribui merentur ſymptomata, etiam in aliis ſimilibus, dejectione dyſenterica non ſtipatis, occurrentia. Huc

a) *Opp. Tom. I. p.* 290.
b) *libr. cit. p.* 57. 58.

Huc maxime referenda videntur, capitis dolores, vertigines, deliria, anxietates, faucium aliarumque partium ſymptomaticae inflammationes, aphthae, exanthemata, quae nonnunquam miliaria, ſaepius vero petechiae obſeruata fuere *c*). A pluribus ſimul cauſis pendere poſſe multas adfectiones facile liquet, quo vtique pertinent imbecillitas, peruigilium, ſopores, ſpasmi varii, mingendi difficultas, aut doloroſa vrinae acrioris miſſio. Ex rarioribus eſſe videtur exemplum, quod hoc loco referre liceat viri Dyſenteria laborantis, atque dolorem valde ardentem in vrinae miſſione ſentientis, qui ſimul cum vrina particulas tunicae internae veſicae vrinariae, ſub forma filamentorum ab vrinae acrimonia ſine dubio abraſas, rejiciebat. Ejusmodi vero adfectiones, quae vel majorem acrimoniae vim et pertinaciam, vel peiorem febris indolem, praeſertim cum certiori corruptione humorum putrida, neruorumque functione deprauata conjunctam denotant, grauius quoque aegris impendens periculum indicare ſolent, et eo majus quidem, quo diutius jam aegrum afflixerint. Maxime metui ſolent ſpasmodicae adfectiones, ſopores, deliria, quorum praeſagium haud raro praebet vrina aquoſa, limpida, quam pro ſymptomate ſemper in Dysenteria lethali obſeruauit HVXHAMVS *d*); praecipue

c) *confer.* ALBERTI *Diſſert. de Dyſenteria cum petechiis et purpura complicata*, *Reſpond.* CRAMER, *Halae* 1718.

d) *Opp. Tom* I. *p.* 292.

pue cum ſimul valde parca fuerit. Quae vero manifeſtiorem ſanguinis putridam corruptionem deſignant, plerumque perniciosa ſunt, vt maculae cutis liuidae, fuſcae, nigrae, et ſimilis coloris aphthae; dejectaque per aluum ſanies cadaueroſi foetoris, praeſertim praeter voluntatem et ſine ſenſu elabentes, cum pulſu exili et frigore extremorum *e*).

§. VIII.

Vt vero diuerſa obſeruatur dyſenteriae in pluribus eodem tempore, eodemque in loco decumbentium grauitas ac difficultas, variaque hujus morbi pluribus in conſtitutionibus epidemicis indoles, dum aliquando febris fere abeſt, et nunc ad hanc, nunc ad aliam naturam magis inclinat; ita quoque in morbi duratione inſignis et perpetua inconſtantia reperitur. Etſi quidem etiam hoc in morbo ſanando multum vtique natura juuare debeat, non facile tamen is ſua ſponte ad ſalutem aegri decurrit, ſed fere ſemper artis auxilium expoſcit, et, monente quoque Degnero *a*) *ad illos morbos pertinet, in quibus natura arti vtique cedere debeat.* Memorabilis hujus celeberrimi viri obſeruatio videtur, *ex dyſenteria mortuos maximam partem, quarto, initio ſeptimi, vel noni, decimo quarto, aliisue diebus indicatoriis exſpiraſſe, in iis autem, qui e malo reſtituti ſunt, dierum criti-*

e) *conf.* SYDENH. *opp. Sect.* IV. C. III. PRINGLE *pag.* 265.

a) *Hiſtor. dyſent. bilioſo-contagioſae, pag.* 263. *et pag.* 118. *confer. quoque* ZIMMERMANN lib. alleg. p. 16. 63.

criticorum ordinem ſeruatum haud fuiſſe b). Morbus ab initio rite tractatus, etiam ſub valde graui epidemia in primis aliquando diebus quarto, quinto, ſexto tollitur, ſed ab initio neglectus, aut male tractatus facile ad quatuor, ſex, pluresque hebdomades immo ad aliquot menſes et annos extendi poteſt *c*). Conueniunt auctores optimi in hiſce cauſis longioris dyſenteriae, nempe vitiis regiminis ac diaetae, neglecta curatione omni, vel ejusmodi adhibita, quae vel plane non vel haud ſatis morbo accommodata fuerat. Admittit tamen et perſpicaciſſimus ZIMMERMANNVS pro cauſa longinquioris morbi talem inteſtinorum jam deprauatam conditionem, quae optimae medicinae efficaciam infringere potuerit. Quantum vero cunque artis auxilio in dyſenteriae curatione tribuendum eſſe boni obſeruatores doceant, minime tamen dubitamus, quin ſalutaris naturae poteſtas in morbi decremento et ejus fine, non per ſigna ſolum aliqua coctionis in lotio reperiunda, verum quoque per ſudores criticos, et metaſtaſes varias, haud raro quam clariſſime ſe manifeſtet *d*). Ad hunc enim morbum quoque applicare licet, quod HVXHAMVS febribus in vniuerſum putridis et malignis tribuit, inquiens: *Quamquam natura ſaepius materiam morbi in febribus putridis malignis vomitu et aluo eliminare adnititur, ejus tamen*

b) *libr. alleg. p*. 24.

c) ZIMMERMANN *libr. ſaep. laudat. p*. 366. SYDENH. *opp. Sect*. IV. *Cap*. III. *pag*. 115. PRINGLE *pag*. 242.

d) *conf*. DEGNER *libr. cit. pag*. 27. 279.

men magis conſtans et maximum per cutis poros obſeruatur conamen. Me nunquam harum febrium aliquam cognouiſſe, quae perfecte indicata aut ſublata ſit, donec major aut minor eruperit ſudor, ſancte aſſero e). Ceterum quoque notatu maxime dignum, ab hoc morbo conualeſcentes, eodem facile de nouo affligi, niſi a quibusuis nocentibus ſollicite ſibi caueant; iteratoque mali hujus recurſu diarrhoeam habitualem non raro excitari; laxioribus nempe redditis inteſtinis, et arroſa illorum tunica villoſa *f*).

§. IX.

Primaria vero dyſenteriae epidemicae et exquiſitae cauſa, ex conſentiente praeſtantiſſimorum virorum obſeruatione, vtique ponenda eſt in certa tempeſtatum ſibimet ſuccedentium ratione; etſi hunc morbum graſſaturum fore, vbi talis adeſſe tempeſtatum conditio videatur, pro certo praeſagire non liceat. Quodſi videlicet aeſtas valde feruida et ſicca fuit, eamque ſolito citius verſus autumnum tempeſtas valde frigida ſequatur, praeſertim quum noctes frigidiores atque dies valde calidi vices alternent *a*), aut quoque, animaduertente Pringlio, ſi tempeſtati valde calidae atque ſiccae humida, quamuis non ſimul frigida ſit, breui ſucceſſerit

e) *Opp. T.* II. *p.* 113.
f) PRINGLE *p.* 243.
a) *conf. F.* HOFFMANNI *Med. Rat. Syſt. T.* IV. *P.* III. *Sect.* II. *Cap.* VII. *Theſ. Path.* §. XVI. ZIMMERMANN *libr. ſaep. alleg. Cap.* III. *p.* 33. *ſqq.*

ſerit *b*); itidemque notante SYDENHAMO, nonnunquam circa veris ingreſſum, forte etiam maturius, ſi nempe aura calidior intemperatiori gelu derepente ſoluto mox ſuperuenerit *c*); ſaepius dyſenterias epidemicas graſſari deprehendimus, etſi nonnunquam ſub iisdem tempeſtatum rationibus deficere, atque ſub aliis adeſſe obſeruentur *d*). Fatendum omnino optimis et perſpicaciſſimis cum obſeruatoribus, cauſam quare non conſtanter conſtitutio haec epidemica certis tempeſtatibus reſpondeat, nos magnam partem latere; attamen aliquando ratio dabitur ex corporum antea jam contracta diſpoſitione, conceptaque ſenſim acrimonia inquilina *e*) ex certis cum natura morbi conſpirantibus diaeta et regimine, faciliorem deriuandi ejus originem, contrariisque ſub conditionibus, quamobrem illa non ſubſequatur quodammodo perſpiciendi. Eo autem pleraque tendunt accuratiorum auctorum obſeruata, epidemicam dyſenteriam tunc maxime ſuboriri ſolere, vbi humores corporum ad putridam corruptionem ſenſim procliuiores redditi, indeque magis diſſoluti fuerint, atque tunc inſenſibilis perſpiratio, vel etiam ſponte ſuborti ſudores ſalutares impediantur, anſaque inde praebeatur colluuiei humorum vitiatorum et acrium ad primas vias et inteſtinorum canalem depellendae, exitum ſibi, partim quidem

 et

b) *libr. ſaepe laud. p.* 22. 23. 35. 94.

c) *opp. Sect.* IV. *Cap.* III.

d) ZIMMERMANN *p.* 34. 35. DEGNER *libr. cit. p.* 53. *ſqq.*

e) DEGNER *p.* 86. 88.

et initio saepe per vomitiones, dein autem per dejectiones quaerentis. Cum his bene consentit obseruatio, quod dysenteriae illi magis obnoxii sint homines, quibus aliqua est scorbutica corporum constitutio, qui ex infima et pauperrima sunt plebe, qui in aere viuunt calido, tranquillo, humido, et effluuiis scatente putridis quique minus apte vtuntur victu atque nimis parum operae adhibent seruandae suorum corporum, omnisque suppellectilis munditiei, vbi modo ex frigore vel humiditate perspiratio in his impediatur f). Videtur autem ipsa dysenteriae certo tempore epidemicae peculiaris indoles maxime pendere a varia memoratarum caussarum natura et conjunctione, ita quidem vt facilius inflammatoria fiat febris dysenterica, vbi minor diathesis putrida in humoribus excitata fuerit, constrictio autem vasculorum habitus externi corporis validiorem habuerit caussam, et acriorem colluuiem ad intestinorum canalem efficacius depulerit. Sed ab hac inflammatoria natura eo fortè magis recedet ac ad putridarum simplicium indolem magis verget illa febris, quo magis ad putridam corruptionem inclinare massam humorum fecerint allegatae caussae variae, quoque minus constrictionis in habitu cutaneo spasmodicae, qualem frigus externum in primis excitare valet, ad illam accesserit. Putridarum hujus generis dysenteriarum originem illa Pringlii ob-

f) *conf.* DEGNER *p.* 71. 72. 73. PRINGLE *p.* 252. 253. MONRO *Beschr. der Krankh. im Feldlazar. p.* 48. 49.

obſeruatio praeſertim apte videtur illuſtrare, quae veram dyſenteriam in homine exortam deprehendit, qui putridiſſimi ſanguinis per aliquot menſes in phiala clauſa ſeruati vapores naribus hauſerat g). Qui praeterea metus, terroris et irae poteſtatem in mutanda et deprauanda bilis craſi et motu, priorumque animi affectuum vim in impedienda ſalutari perſpiratione cognitam habuerit, non difficulter intelliget, quantum illis quoque tribuendum ſit, ad dyſenteriam in diſpoſitis corporibus, et concurrentibus aliis cauſis excitandam *h*). Ex his autem timor, qui graſſante morbo epidemico periculoſo multorum animos occupare ſolet, plurimum omnino confert, quo facilius quis contagio inficiatur *i*); quod ſua natura ſaepe ſatis efficax deprehenderunt probi obſeruatores ad veram et grauiorem dyſenteriam longe lateque in populos diffundendam *k*). Facile quoque in aliam et peiorem ſenſim indolem tranſire tunc poterit hicce morbus, alicubi certo tempore epidemicus, vt nempe magis magisque putridus fiat, vbi aegrotantium valde increuit numerus; cum non ſolum, vt in aliis epidemicis putridis et contagioſis, tunc plus noxiarum exhalationum oriatur et facilior infectioni locus detur, ſed etiam, quod huic morbo fere proprium, excreta per aluum materies ſanguinolenta, largam praecipue materiem infectioni

 prae-

g) *Conf.* PRINGLE *p.* 253. *et* 316.
h) DEGNER *lib. ſaepe laud. p.* 80. 81. *n. q.*
i) ZIMMERMANN *von der Erfahrung* II. T*h. p.* 451. *ſqq.*
k) *idem von der Ruhr, p.* 344.

praebens *l*), grauiori obnoxia ſit putridae corruptioni *m*).

§. X.

Quam praeterea multi, et praeſertim vulgus, minus accurate cauſſas rerum meditari ſoliti, largiori fructuum horaeorum comeſtioni tribuerunt nociuam in excitanda dyſenteria epidemica efficaciam, eam tot praeſtantiſſimorum virorum obſeruatis ita refutatam deprehendimus, vt non facile quis, hiſce ponderatis, iſti opinioni vlterius fauere poſſe videatur. Memorabile eſt, quod ab ipſo jam ALEX. TRALLIANO relatum legimus: *noui quosdam damaſcenorum copioſiori eſu dyſenteria abſolute curatos fuiſſe, ſtercore citra impedimentum ab ipſis per aluum dejecto; item alios quam plurimis vuis aſſumtis a*). *Tantum ſe abfuiſſe*, narrat grauiſſimus atque fide digniſſimus de dyſenteria ſcriptor, DEGNERVS, *vt crederet ab horaeis fructibus morbum dyſentericum contagioſum ortum aut oriturum, vt potius non ſolum ipſe illis toto contagii tempore vſus fuerit, ſed et fermentationem fructuum acidam contrariam judicauerit fermentationi ortae e miaſmate bilioſo dyſenterico b*). Idemque ipſe auctor ſententiam ſuam confirmat allegatis

l) *v. idem eodem in libr. p.* 31.

m) *v.* PRINGLE *p.* 255.

a) *Libri* VIII. *Cap.* IX. *ex edit.* JO. GVINT. ANDERNACI, *Baſil.* 1556. *pag.* 58.

b) *libr. cit. p.* 248.

gatis aliorum obſeruatis *c)*, quibus vuas et muſtum ad dyſenteriam bilioſam epidemicam, miſſis omnibus aliis, optimum fuiſſe remedium, neque vel intemperatiſſimo vuarum vſu, dyſenteriam vnquam, licet quidem diarrhoeam ſimplicem, ortam eſſe conſtitit. Adducit quoque exemplum viri, qui cum e dyſenteria epidemica grauiſſime aegrotauerat, neque ex vllius remedii vſu leuamen perceperat, ribeſiorum rubrorum maturorum, ſibi forte fortuna ſubmiſſorum, vltra tres libras intra duas horas matutinas inſigni cum adpetitu comediſſe, atque hoc facto ſe inſequenti die malo liberatum ſenſiſſe. Etiam notabile refert obſeruatum, cucumeres, qui multis maxime ſuſpecti habentur, vel recentes, aceto, ſale, pipere, et oleo oliuarum more ſolito praeparatos, vel etiam acida muria conditos, diuerſis aegris, diuerſis in locis degentibus, remedium antidyſentericum extitiſſe *d)*. Neque diuus SYDENHAMVS vnquam horaeis fructibus noxiae quid efficaciae tribuiſſe videtur, quum potius eam amplexus fuerit ſententiam, quod dyſenteria autumno epidemica ipſiſſima illa febris ſit, quae eodem anno infeſtet, hoc tantum diſcrimine, quod introuertatur, et humores calidos et acres in maſſa ſanguinea contentos, atque eandem exagitantes, per arterias meſeraicas in inteſtina deponat *e)*. Hanc SYDENHAMI

Y 5 doctri-

c) Ephem. nat. cur. dec. II. *A.* X. *obſ.* 192. SAM. CARLII *ſpec. theor. med. p.* 291

d) Annal. med. phyſic. Vratisl. ann. 1719. *p.* 443.

e) opp. Sect. I. *C.* II. *p.* 41. *et Sect.* IV. *Cap.* III. *p.* 182.

doctrinam, ex ejus obferuatione natam, ill. quoque ZIMMERMANNVS exacte confirmatam deprehendit, in ea, quam fumma cum accuratione defcripfit, grauiffime lateque inter HELVETOS fuos graffata dyfenteria; qui et ipfe infignem fimilitudinem, quae hunc inter morbum et praegreffam epidemicam febrim putridam interceffit, per integrum vtriusque morbi decurfum fingulari ftudio expofuit *f*). Sed praeterea *Vir idem excellentiffimus* tum aliorum *g*), tum propria ex obferuatione, praeftantioribus theoriae principiis confirmata *h*), non innocentiam modo fructuum horaeorum, quoad verae dyfenteriae epidemicae originem, fed eorundem quoque vtilitatem ad illam vel plane, vel majorem faltim ejus vehementiam auertendam fatis euidenter comprobauit. Infignis etiam ponderis ad hoc ipfum euincendum quisque facile habuerit obferuata PRINGLII *i*), atque TISSOTI *k*), quibus doctrinae hujus veritas extra omne dubium collocari videtur. Atque horum quidem *illuftrium virorum* pofterior, pluribus propofitis, quae fuam fententiam clariffime demonftrare valeant, exemplis loco allegato neruofe concludit: *Loin de s'interdire les fruits, quand la dyfenterie regne, l'on doit en manger d'avantage; et les Directeurs de la police, loin de les probiber, doivent chercher à en fournir*

f) *libr. cit. Cap.* III. *p.* 20. *fqq.*
g) *von der Erfahrung* II. *Th. p.* 256.
h) *von der Ruhr p.* 37. 38.
i) *Part.* I. *Cap.* III. *p.* 23.
k) *l. c. Tom.* II. *chap.* XXIV. §. 339. *fqq.*

nir les marchés; c'eſt vne verité, que les gens inſtruits ne révoquent point en doute nulle part; l'experience le démontre, et elle eſt fondée en raiſon. Diarrhoeam quidem nonnunquam et torminoſam, imo et choleras, grauioresque colicas, variosque neruoſos morbos, ex largiori fructuum illorum, praeſertim nondum maturorum, comeſtione oriri poſſe laudati auctores concedunt; quamobrem quoque, ne daretur anſa ſuſpicandi adeſſe dyſenteriam, ſi aluus laxior fieri inciperet, DEGNERVS durante epidemia fructus horaeos quoscunque vitandos monuit *l*). Non ideo mirum, veri quibusdam ſimile adhuc videri, benigniori aliquando dyſenteriae certis ſub conditionibus, ab ingeſta majori fructuum ſucculentiorum dulcium aut acrium, aut immaturorum quoque, vel ad fermentationem magis procliuium copia nonnihil anſae, licet raro apud nos, praeberi poſſe *m*). Maxime illuſtratur et confirmatur haec ſententia obſeruatione apud *Indos orientales* capta, quibus haud infrequens eſt benignior, ſporadica, non contagioſa, plurima ſua parte alba, vtpote ſimpliciter fere mucoſa, parumque ſanguinea dyſenteria, qua nemo corripi dicitur, niſi, qui ſiue in diaeta, ſiue in vitae regimine, aut in vtroque ſimul, graues antea commiſerit errores. Atque ad hos inter alia refertur in primis comeſtio fructuum diuerſorum valde refrigerantium, quibus *India* eſt foecun-

l) *libr. cit. p.* 247. §. XI.

m) ZIMMERMANN *von der Ruhr p.* 39. HOME *princ. medic. Part.* III. *Sect.* XII. §. 3.

cundiſſima *n*). Quae etſi in dubium vocare minime audeamus, ſed potius verum his obſeruatis pretium lubenter concedamus, non difficulter tamen attentior quisque intellexerit, quam parum obeſſe poſſint ſtabilitae ſatis doctrinae de innocuo et proficuo vſu fructuum noſtratibus familiarium horaeorum ad epidemicas plerumque bilioſas, et putridas atque contagioſas dyſenterias.

§. XI.

Quae vero ad prognoſin dyſenteriae ſpectant ex iis quidem, quae hactenus fuerunt pertractata magnam partem ſatis conſtare exiſtimo, attamen ex inſtituto ſubjungere nonnulla haud alienum fore mihi viſum eſt. Quo itaque irritabilior et debilior ceteris paribus hominum a Dyſenteria correptorum conſtitutio fuerit, eo grauior ac moleſtior eſſe poterit morbus. Sed nonnunquam mitior eſt in debilibus morbus, plusque natura ſaepe valet in iis, qui ſenſibilitate valent et irritabilitate. Sed viribus priuati quocunque modo, inedia, praegreſſis morbis, animi moerore, curis, vigiliis, aetate prouectiori, aut qui plura morbi ſemina, diaeta minus apta, et regimine alieno ex cauſarum indole definiendis, collegere, grauiori ſaepius morbo ſuccum-

n) *Conferri praeſertim hac de re meretur Cl.* IOH. THOMAE LAVRICH *diſſ. ſub praeſidio perill.* BUCHNERI *habita, de ſingulari quadam* Indor. Orient. *dyſenteria ejusdemque praecipua a noſtrate differentia.* Halae 1752. §. X. *et* JAC. BONTII Medicina Indor. *L.* III. *C.* III. *p.* 64.

cumbunt. Hinc etiam dyſenteriae puerperis, grauidis, cachecticis, ſcorbuticis, phthiſicis, ſenibus, ad bilis quoque abundantiam pronis, facilius periculoſae fiunt. Etiam non immerito periculoſior habetur eorum conditio, quorum inteſtina lumbricis ſcatent. Dyſenteria, quando cum vomitionibus incipit, eaedemque moderatae nec nimis frequentes fiunt, atque vitioſas, praeſertim bilioſas ventriculi ſordes educunt, aliquo leuamine ſuccedente, tunc non ſine cauſa leuior atque facilior morbus exſpectatur. Peſſimus autem eſt vomitus cruentus, valde viridis, niger, faeculentus, omnisque nimis frequens et vehemens. Sic etiam bilioſae per aluum deiectiones quum humorem, in quo cauſae praecipua pars haerere ſoleat, educant, ſalutares reperiuntur. Quo magis autem alui excrementa a naturali indole receſſerint, eo plus metuendum apparet. Hinc intolerabilis faecum graueolentia, earumque color aeruginoſus, liuidus, ichoroſus et ater graue denunciant periculum, et ex his peſſimum, ſi foetor vere cadaueroſus fuerit. Fere omne, quod aegris accidit conuulſorium, tendinum ſubſultus, ani ſtrictura, quae clysmatibus aditum non concedat, mingendi difficultas, et vrina aquoſa cryſtallina, faucium ſpasmum, vomitus ſerotinus creber, ſpontaneus, et ſingultus, aſſumta cum murmure delabentia, maxime ſemper periculoſa, et ſaepiſſime perniciem praeſagiunt. Suborta manifeſtior inteſtini inflammatio mali ſemper ominis, prae-

ſertim

sertim serius accedens aut corpore sordibus adhuc valde pleno; sed actum est cum aegro, vbi dolor subito disparuerit, labia liuida sint, genae p. n. rubeant, extrema frigeant, pulsus debilis, celer et intermittens fiat, mentis alienatio accedat, et fauces atque ani et vesicae sphincter paralyticae factae sint. Quae sanguinem nimis dissolutum corruptumque designauerint, petechiae et aphthae peioris coloris, profusio sanguinis per aliena loca, sudor copiosus non leuans aut foetens, exanthemata quoque miliaria, insigne plerumque periculum adesse indicant. Praestantiores contra aegri vires, per morbi decursum non facile multum labefactatae, mentis constantia, febris, si adfuerit, mitescens vehementia, dolores egestionum rationem sequentes, dejectionum sensim decrescens numerus, earumque ad naturalem magis magisque accedens conditio, imminutus tenesmus, spei respondens exhibitae medicinae salutaris efficacia, subsequentes in morbi decremento et fine sudores, aequaliter per totum corpus diffusi, non nisi optimum sperare euentum jubent. Ceterum quoque maxime notandum, prognostica de singulis aegris judicia per integrum morbi decursum facilius ferri, accuratius cognitis epidemica qualibet constitutione, verisque morbi popularis causis, praesertimque speciei febrium cum dysenteria conjunctae indole, num ad inflammatorias, vel biliosas simplices, aut hujusmodi simul putridas vel ad simpliciter putridas magis mi-

nusue

nusue pertineat, aut complicatam ex harum variis habeat naturam.

§. XII.

Ad exponenda etiam praecipua curationis dyſenteriae momenta mihi nunc progreſſuro, in his fere minus ſententiarum diſcriminis apud artis peritos, quam in methodis alios ſanandi acutos morbos, reperiri videtur. Vt vero plura in capita, ſub indicationum nomine, diſpeſci ſolent morbis medendi praecepta, ita etiam, quae ad curationem dyſenteriae ſecundum obſeruatorum principes plerumque neceſſaria aut proficua ſunt, generatim declarare conueniet, eademque ſequentibus centineri exiſtimo: 1) nempe expellendam eſſe ex primis viis, integroque ex inteſtinorum canali, materiem acrem bilioſam, vbi eam adhuc praeſentem eſſe, propria ejus ſigna indicauerint; non minus caute ac moderate, quam efficaciter et quam maturiſſime huic intentioni ſatisfaciendo; eoque ſimul contendendum, quo 2) ejusdem materiae acrimonia corrigatur, atque 3) firmarum partium ad effrenes motus procliuitas imminuatur; neque minus 4) conjuncta morbo febris propriam ſecundum indolem ſuam ita dirigatur, ne damnoſis anſam praebeat ſymptomaticis affectionibus, verum potius vt ipſa ſuam rite abſoluat criſin; et 5) quae forte inciderint ſymptomata moleſtiora, in primis autem quae diſcrimen aegris adducant, cauſſarum praeſentium rationem habendo, leuen-

leuentur vel tollantur; atque tandem 6) ſuperato morbo, ſi opus fuerit, allaborandum, quo integritas chylopoieſios, et robur totius corporis, praeſertim vero inteſtinorum, donec ſanitatis redierit vigor, atque probabilius redituri ejusdem mali aut alius ſubſecuturi periculum tranſierit, probe apteque confirmentur. Satis equidem ex ipſis etiam allegatis dyſenteriae cauſis harum indicationum veritatem liquere exiſtimo, attamen quae certior his in rebus via eſt, ipſas has dyſenteriae medendi regulas reperturum puto, qui ad methodos feliciori ſucceſſu probatas, abſtrahendo illas componere inſtituerit. Jam vero animus haud eſt, ſecundum illarum quae praemittere libuit, regularum ordinem, quomodo ipſae, pro varia aegrorum conditione, in vſum optime verti videantur, exponere; neque alio etiam ordine omnia congerere conſtitui, quae certiora ſecundum obſeruata, per integrum morbi, in ſpecies ſuas diſpertiti, decurſum praeſtantiora judicem artis auxilia; quale nempe negotium ipſo in artis vſu exercitatioribus aptius conuenire arbitror. Libet ſaltim fidorum ex Praeceptorum inſtitutione hauſta artis principia, atque mecum communicata Fautoris medici obſeruata ſic in vſus meos hoc loco vertere, vt primaria quaedam artis dyſenteriae medendi ſubſidia illuſtrem atque confirmem.

§. XIII.

§. XIII.

Ex laudatis aduerſus veram dyſenteriam remediis eſt etiam ſanguinis miſſio, neque dubitari poteſt, ipſa clarorum virorum experientia hoc ipſum ſatis confirmante, quin pluribus in epidemiis multis aegris bonam opem praeſtiterit. Non adeo quidem venaeſectionis in dyſenteria curanda vſum quis facile extenderit, vt tam generaliter, quam ad alias pertinaciores ſanguinis ex interna cauſa profuſiones fieri ſolet, illam quoque ſuadeat; verum forte libentius plurimi ſaniore ratione ducti F. Hoffmanni ſententiae acceſſerint, *multiplici*, adſerentis, *ductus experientia ſtatuo, quod in ſubjectis valde plethoricis, diaetae vinoſae adſuetis, ſi dyſenteria cum febre continua corripiantur, omnino perquam ſit neceſſarium, venam ab initio morbi ſecare.* Forſitan haud multum diſſimilis Sydenhamo fuit mens, inſigni cum accuratione morbos aegrosque diſtinguere ſolito, etſi generaliter in methodo ſua dyſenteriae medendi ſe, quo primum die accerſitus fuerit, venam cubiti ſecare ſuaſiſſe, dixerit *a*); quum breui poſt in tradenda alius epidemiae curatione ad aetatis florem, febremque ſimul perſtantem in adminiſtranda phlebotomia ſe reſpexiſſe ſubjunxerit *b*). Quisque tamen puto, facile animaduertet, Sydenhamvm venaeſectionem fere pariter atque cathartica, quibus binis remediis

quam

a) *Opp. Sect.* III. *Cap.* III. *p.* 183.
b) *pag.* 187.

quam maxime plurimis in sanandis morbis sauebat, aduersus dysenterias plerumque necessariam habuisse, siquidem et diserte de proposita sua methodo adserat: *hac methodo erant tractandae dysenteriae in genere c*). Paulo accuratius F. HOFFMANNO conditiones suadendae phlebotomiae exposuit prolixa experientia et accurata scriptione celebris HVXHAMVS, de dysenteria agens vernali, Aprili et Majo mensibus epidemica, vbi ob inflammationem intestinorum, quam aliquo saltem gradu in quauis dysenteria epidemica adesse docuerat, protinus morbi initio venaesectionem consuluit, atque vires, aetatem, pulsum, constitutionem et anni et ipsius aegrotantis, modum statuere monuit *d*). Similia his praecepta, etsi breuissimis, tradidisse videtur celeb. FRANCISCVS HOME, dum *venaesectionem conuenire* ait, *plethora et inflammatione mensurandam*, quibus etiam addit: *in dysenteria maligna semel vel ad summum bis venam secare sat est e*). Facillime plures probatae fidei et experientiae scriptores medicos adducere liceret, venaesectionem in curanda dysenteria ita commendantes, vt saepissime optimo illam praesidio fuisse plane dubitari nequeat. Verum tamen nec ausim tam proficuum vbique morbo incipiente hoc remedium praedicare, ac a SYDENHAMO, etiam a perill. PRINGLIO factum legitur, neque talibus in conditionibus eandem adhibendi acquiescere velim, quales alle-

c) *pag.* 186.
d) *Tom.* I. *p.* 286.
e) *Princip. medic. P.* III. *S.* XII. §. 12.

allegati auctores reliqui tradidere. Quis *Neomagenſem dyſenteriam a cel.* DEGNERO deſcriptam crederet plethoricis peperciſſe? quis inflammationem in omnibus abfuiſſe? quum potius ſubortas in pluribus gangraenas et exulcerationes inteſtinorum ipſe obſeruauerit; atque tamen laudatus Auctor diſerte refert: *Venaeſectioni in noſtro morbo nullus locus erat, ſiue praeſeruationis ſiue curationis gratia adminiſtratae, vires vitae frangit, naturam in motibus ſuis ſalutaribus conturbat, vnde vomitus cruentus et mors venaeſectionem cito ſequebantur f).* Et qui tam inſigni cum felicitate neque minori cum prudentia et ſagacitate grauiſſimam plurimis in aegris dyſenteriam deuicit, ill. ZIMMERMANNVS in praeſtantiſſimi operis capitibus IV. et V., quibus curationis a ſe inſtitutae methodum integram exponit, adhibitae in aegrorum ſuorum vllo venaeſectionis nullam plane mentionem facit, atque dein alibi DEGNERO etiam adſentitur, ſuae ſimillima in dyſenteria venaeſectionem plane rejicienti *g*). Pariter neque cel. TISSOTVS tales aduerſus dyſenterias, quales certe ſunt plurimae, bilioſas nempe, putridas et malignas, miſſionem ſanguinis commendauit *h*), etiam ex iis quae de hujus remedii ad pleuritides et peripneumonias ſimilium generum adhibiti noxa idem tradidit *i*), facile colli-

f) libr. ſaep. alleg. p. 267.

g) von der Ruhr X. Cap. p. 388. 389.

h) Avis au peuple chap. XXIV. §. 332. 334.

i) Diſſ. de febre bilioſ. Lauſann. et Lettre a Mr. ZIMMERMANN *ſur l'epid. cour.*

gere licet, ipſum a venaeſectionis in hiſce dyſenteriis vſu commodi parum vel nihil exſpectare poſſe. Satis ergo euidenter ex hiſce liquere exiſtimo, in vtroque conſilio, et inſtituendae et omittendae venaeſectionis, quid reperiri difficultatis, quod ſollicite meditari atque disquiri mereatur.

§. XIV.

Primum vero quam plurimis, et ab HIPPOCRATE ad noſtra vsque tempora notatis, immo quotidianis fere, practicorum obſeruationibus, manifeſte conſtat, in plurium generum febrilibus morbis colluuiem in praecordiis haerentem humoris bilioſi, varia ratione alienati, ex lingua, ſapore, nauſea, excretis, pluribusque ſymptomatibus animaduerti, atque cum retenta ſenſimque aucta haec ſaburra fuerit, magisque a naturali conditione receſſerit, calorem, ſitim, anxietates, laſſitudinem, artuum colli capitisque dolores, et fere omnia, quae febribus accidere poſſunt ſymptomata, vel augeri vel ſponte ſuboriri poſſe, nulla praeſente manifeſtiori horum malorum cauſſa. Compertum quoque, illa etiam incommoda, quae communiter pro ſignis plethorae haberi ſolent, et adfectiones illas, quae ex abundantia ſanguinis oriri, ejusque miſſione ſaepe minui poſſunt, inflammationes praeſertim et haemorrhagias, eadem praeſente et retenta vitioſa colluuie, facile ſubnaſci. His autem in morbis plurimum valere, quae ex primis viis et inteſtinorum

rum canali vitioſos iſtos humores, quamdiu adeſſe cognoſcuntur, certas ſecundum cautiones, educant, et ſine ſanguinis miſſionibus ſaepe totum curationis negotium ex voto abſolui, et contra his adminiſtratis, praeſertim omiſſa purgatione, morbos nonnunquam grauiores redditos fuiſſe, experientia conſtat quam euidentiſſime. Praeterea quoque ſatis frequenter obſeruatum, eo minus plerumque venaeſectione opus eſſe, eoque ſimul facilius illam nocere, quo major humoris biliofi ad praecordia orgaſmus fuerit, quo plus ad putridam corruptionem idem jam inclinauerit, quo certiora ſigna jam adfuerint ſanguinis inde infecti ac diſſoluti, et quo certius denique in ejusmodi morborum genere de vomitionis et purgationis vtilitate per obſeruata conſtitit *a*). Haec vero ſi cum dyſenteriis epidemicis conferamus, palam liquere exiſtimo, venaeſectionem in multis haud requiri, in multis quoque noxiam omnino reputandam eſſe. Memoratas enim aegrorum conditiones, quae venaeſectionem omittendam ſuadere poſſunt, nunc minori nunc majori gradu in dyſenteriis plerisque reperiri conſtat; et ſi quam plurimos ex optimis euoluamus ſcriptores medicos, HIPPOCRATEM *b*) quoque, etſi

a) *Confer.* GLASSII *comment. de febribus ad Hipp. diſcipl. accomm. Comm.* VII. *praeſertim p.* 103. 113. 123. *et* BARKER, *eſſay ſur la conform. de la Medec. des anc. et des modernes p.* 111. *et ſqq. et p.* 347. *ſqq.*

b) *de affect.* C. XXIV. *et Coac. n.* 462.

veteres alii, etiam PRINGLIO judice c), emeticis et purgantibus vel plane non vel nimis parum ad dyſenteriam vſi fuerint, recentioris tamen aetatis vix non omnes, FERNELIVM d), RIVERIVM e), BALLONIVM f), BAGLIVVM g), SYDENHAMVM h) BOERHAAVIVM i) DEGNERVM k), HOFFMANNVM l), V. SWIETEN m), ELLERVM n), TRALLESIVM o) aliosque permultos ad noſtra vsque tempora celebres; tum vomitiones et purgationes valde commendatas, tum quoque deplorandas adſtringentium et omiſſorum euacuantium noxas p) relatas deprehendemus. Quamquam vero hiſce omnino confirmetur, multis in dyſentericis a venaeſectione merito abſtinendum eſſe, nequaquam tamen illa ex remediorum ad hunc morbum numero erit rejicienda, vel cum DEGNERO q) pro ſuſpecto auxilii genere in vniuerſum habenda. Vt enim experientia frequentiori ſatis compertum

c) *Libr. alleg. p.* 257.
d) *Meth med.* L. II. C. XI. *p. m.* 708.
e) *Prax. med.* L. X. C. VI. *p. m.* 476.
f) *Conſ. med.* L. I. *conſ.* 53. *edit.* TRONCHINI *opp.* T. III. *pag.* 233.
g) *opp. omn. p.* 109.
h) *opp. Sect.* IV. C. III. *p.* 183.
i) *Conſult. med. Vol.* II. *Caſ.* V.
k) *Hiſt. dyſ. bilioſae Neom. p.* 127.
l) *Med. R. S. T.* IV. *P.* III. *S.* II. *C.* VII.
m) *von den Krankh. der Feldlager p.* 61. *ſqq.*
n) *obſ. de cogn. et cur. morb. p.* 272.
o) *Vſ. Opii S.* III. *C.* IV. §. IV.
p) *De his in primis conferri meretur* ZIMMERMANN *von der Rubr, Cap.* VII.
q) *libro cit. p.* 268.

pertum habetur, vera biliosa febre affectis venaesectionem non modo proficuam, sed valde quoque necessariam esse posse, quum non fuerit, quod de praesente vera plethora dubitemus, quumque conjunctam cum biliosa febre inflammatoriam indolem, minoremque vel nullum colluuiei biliosae orgasmum deprehendamus, vbi tamen aestus major et pulsus fortior simul adfuerint, quum nec sit, quod putridam febris naturam, aut mobilitatem neruosi generis metuamus; ita quoque similibus sub conditionibus in dysenteriae curatione, consentiente complurium obseruatione *r*) venaesectio, et maxime quidem initio morbi insignem habere vsum poterit.

§. XV.

Quamquam nunc fere extra controuersiam esse videatur insignis emeticorum et purgantium in dysenteriae curatione vtilitas, nondum tamen in illorum delectu eademque vsurpandi ratione plane conueniunt medici. Multis proprias ipecacuanhae et rhei radicibus specificas vires antidysentericas inesse visum, ob quas haec medicamenta euacuantibus aliis praeferrent *a*). Praerogatiuam quoque ipecacuanhae tribuit ill. ZIMMERMANN, dum fortiora emetica minus proficua judicauit, et pro explorato habuit, hanc firmas partes non relaxare,

 quam-

r) *conf. in primis* TISSOT *avis au peuple* §. 333. ZIMMERMANN *von der Ruhr p.* 380. *et* MONRO *von Feldkrankh. p.* 57. 58.

a) *conf. praecipue* DEGNER *libr. cit. p.* 128. *et sqq. et p.* 139. *et* TRALLES *vsus opii S.* III. *p.* 186. 187.

quamuis ventriculum aluumque expurgaret *b*). Attamen dein ex obseruatione cl. MÖRLINI, practici *Rauensburgensis*, felicissimos refert successus vitri antimonii cerati, ab eodem vltra septuaginta cujusuis aetatis aegris, et maligniori praesertim dysenteria laborantibus, exhibiti. Plerisque tres doses a sex ad octo grana suffecerant, quarum prima dejectiones fluidas auxit, altera illas minuit, tertia plane sustulit *c*). Variorum encomiis hoc remedium specifici instar antidysenterici summi, ob effectus celeres et praestantissimos, ornatum primum proposuerat ill. PRINGLE *d*); postea tamen idem alibi *e*) violentam hujus remedii operationem sibi ita displicuisse fatetur, vt in pertinacioribus tantum casibus eo vsus sit, in quibus bonum illius effectum, aliis medicamentis incassum adhibitis, se obseruasse refert. Ab aliis etiam tanta hujus remedii virtus obseruata legitur, qua dysenterias, et ipecacuanhae et simarubae et reliquis omnibus in vsum vocari solitis obedire nescias, semper et feliciter et secure domuerit *f*). Cl. MÖHRLINVS trium quatuorue granorum rad. altheae commixtione cum granis sex vitri antim. cerati ex voto id obtinuit, narrante ZIMMERMANNO *g*), vt sine nausea, animique deli-

quio,

b) *von der Ruhr p.* 80.
c) *ibid. p.* 123. *ad* 128.
d) *Edimb. Vers. und Bemerk. V.* 13. I. *Th. p.* 238.
e) *von den Krankh. einer Armee p.* 265.
f) *Hist. de l'acad. Roy. des sc. de Paris de l'année* 1746. *in* 4. *p.* 81.
g) *von der Ruhr p.* 126.

quio, quae primas doſes hujus emetici alias inſequebantur, hoc ipſum remedium, ſolito celerius et efficacius et ſine doloribus operaretur. Et cel. HOME vitro antim. cerato addere ſuadet opium et theriacam, tum ad mitigandos ejus effectus effrenos, tum quoque ad materiam morbificam ex inteſtinis ad cutem determinandam *h*). Perill. autem VAN SWIETEN purum commendat vitri antimonii cerati pulverem, diebus alternis ad tertiam vicem ab 8. ad 12. grana, veſperique demum opii granum, exhibere conſuluit *i*). Sed praeter memorata bina, etiam alia emetica a ſummis viris ad dyſenteriam commendata et cum fructu vſurpata legimus, vt vinum emet. commune ad vncias duas a BOERHAAVIO *k*), tartarum emeticum cum ipecacuanha mixtum a PRINGLIO *l*) et MONROO *m*), tartarum emeticum ſolum a TISSOTO *n*), radicem aſari ad drachmam dimidiam a KRAMERO *o*). Quoad purgantia inſignem rhei vſum fere omnes affirmant, verum vbi multum euacuandae adhuc adeſt materiae bilioſae et putridae, pulpam tamarindorum aut cremorem tartari, aut ſal ſedlicenſe praemittere ſuadent

Z 5 ob-

h) *princip. med. p.* 143.

i) *von den Krankh. der Feldlager p.* 64.

k) *Conſult. med. vol.* II. *Caſ. V. p.* 25.

l) *l. c p.* 260.

m) *l. c. p.* 59.

n) *Avis au peuple* §. 332.

o) *Commerc. Norimb. a.* 1733. *p.* 45.

obseruata TISSOTI *p*) ac ZIMMERMANNI *q*). Non admodum in dysenteriis curandis rheum conducere, ait SYDENHAMVS, nisi mannae aliquid, aut syrupi rosacei aut aliud ejusmodi, ea quantitate admisceatur, vt ad pleniorem catharsin adsurgat *r*). Scammonii grana 5. myrobolanis et rhei drachmae adjecit BOERHAAVE, tribusque diebus successiuis haec sumere suasit *s*). Sed PRINGLIVS *t*) et HOME *u*) majorem modo dosin rhei commendant. MONROVS contra sal catharticum amarum cum manna et oleo majus praestitisse leuamen quam rheum, aliudue vllum purgans obseruauit *x*). Haec omnia si attentius inter se pluribusque cum obseruatis conferamus, facile apparet, feliciorem curationis, ad quasuis dysenterias, pariter vt etiam ad alios omnes epidemicos morbos instituendae, successum non vna eademque perpetua via, ad morbi nomen eligenda, obtineri posse, verum omnino in quamuis epidemiam et in morbum ex hoc genere quemuis singularem denuo semper sollicite et accurate inquirendum, et ex cognita demum ejus indole, medendi certam methodum ei accommodandam esse. Negari nequit, ita mites leuesque dari dysenterias, quae nullo indigeant euacuante, alioue medicamento

p) *Avis au peuple* §. 334.
q) *von der Ruhr* V. *Cap.*
r) *opp. Sect.* IV. C. III. *p. m.* 185.
s) *Consult. med. p.* 143.
t) *von den Krankh. einer Armee p.* 265.
u) *princip. med. p.* 143.
x) *von den Feldkrankheiten p.* 59.

mento ſtrictius dicto, quales illae plures ſine dubio fuere, quas Tissotvs aquae tepidae vaſculo, omni quadrante horae exhibito, ſanauit *y*). Sunt aliae, in quibus natura tantum jam expuliſſe videtur, accerſito medico, vt nihil amplius indiciorum ſuperſit, quae medicinam euacuantem deſiderent; quales obſeruationes ex multis aliis apud F. Hoffmannvm reperire licet *z*); talesque fuiſſe videntur dyſenteriae, quas Sydenhamvs ſolo exhibito laudano, ſine omni ſubſecuta noxa, ſanatas retulit *aa*). Neque dubitandum, ejusmodi etiam dari dyſenterias, ad quas non ſine metuenda noxa euacuans qualecunque exhibere *bb*) liceat, cujus generis ſunt verae et ſimplices inflammatoriae, quum alias, vbi cum his indoles bilioſa complicata fuerit, ſubjungenda aut interponenda ſint euacuantia accommodata *cc*). Pariterque vetare poteſt euacuantium omnem vſum dyſenteriae indoles valde ac ſimplicius putrida, deficiente nempe indicio bilioſae colluuiei, quae morbum excitauerit aut ſuſtentet, viribusque neruoſi ſyſtematis valde fractis, de quali dyſenteria, malignae cognomine diſtincta, quam exactiſſime egit atque curationem ejus expoſuit ill. Zimmermannvs *dd*). Quod autem ad eas dyſenterias,

y) *avis au peuple* §. 333. *p.* 366.
z) *Med. R. S. T.* IV. *P.* III. *S.* II. *C.* VII. *obſ.* I. *ad* V.
aa) *l. c. p. m.* 189.
bb) ZIMMERMANN *von der Ruhr Cap. X. p.* 380-385.
cc) TISSOT *avis au peuple* §. 333. *p.* 366.
dd) *l. c. p.* 369. *et* 448-488.

rias, quae ſtrictius biliofarum nomen merentur, et ex bilioſo fomite putridas, attinet, facile cuiuis apparet, non eandem omnibus methodum aeque apte conuenire poſſe. Major turgentis materiae copia, grauius ex hac oriundum periculum, minor naturae ipſius in eadem expellenda efficacitas, cunctari medentem, ſui memorem officii, in emeticorum et purgantium vſu non permittet, vel ſerius accerſitum *ee*), quum ſatis adhuc integra eſſe viſcera cognouerit. Vbi viribus parcendum eſſe praeſens aegri conditio ſuaſerit, lentius mitiusque repetitis rhei vel ejus tincturae aquoſae doſibus, ex effectu ſuo aeſtimandis, vti ſaepius conueniet. Quum pertinacior expurgandae materiae renixus obſeruetur, magis ſoluentibus et mollientibus, ſalibus nempe catharticis et mannae, nonnunquam et efficacius mouentibus, vt vitro antimonii cerato, locus dabitur. Putrida educendae materiae praeſens corruptio, febrisque conjunctae putrida indoles, tamarindis et cremori tartari praeferendis anſam omnino praebere poterit. Quam plurima quidem, in dyſenteriarum curationibus ponderanda obſeruandaque momenta ſupereſſe perſuaſiſſimum habeo, non ſolum quoad ſpecialiora euacuantium, ſed aliorum quoque, demulcentium nempe, antiſepticorum, opii, pluriumque antiſpasmodicorum, diaphoreticorum, adſtringentium et roborantium, externorum denique variorum indicantia, praetereaque

ee) ZIMMERMANN *l. c. p.* 82.

eaque omnium adhibendi modum, et simul obseruandum regimen ac diaetam; temporis tamen ad scriptionem hancce mihi concessi breuitas haud permisit, vt in haec exponenda vlterius me dimitterem. Eo autem facilius beneuola lectoris venia hoc negotio me supersedere existimo, quod proposita jam sufficere ad profectuum qualiumcunque specimen exhibendum videantur; neque dubitem, quin res medicorum publica in argumento, cui explanando aetatis nostrae tot viri summi, DEGNERVS, HVXHAMVS, PRINGLIVS, MONROVS, ZIMMERMANNVS, prolixa clari experientia, manum admouerunt, juuenili meo labore sine omni damno sit caritura.

IX.

Dissertatio de alienata bilis qualitate, vbi viridis est alvo excretorum, aut vomitu rejectorum color. Publice proposita Goettingae, die 7. mens. Maj. 1767. Respondente Jo. MARTINO STARCK, Moeno - Francofurtano.

---

§. I.

Quum de argumento vtiliori, quod in specimine inaugurali exponerem, eligendo mihi dispiciendum fuerit, insignis existimatio summi Medici, meamque supra laudem positi, de me vero meaque gente meritissimi, quem et maxime colendum

dum Fautorem honoris cauffa nomino, Illuftris Francofurtanorum Bvrggravii, vt ejus confilium fubmiffe implorarem, non poterat me non permouere. Annuit meae petitioni, pro fua in me prolixa voluntate, Vir in omni Medicorum doctrina longe verfatiffimus, variaque grauioris momenti theoriae medicae dogmata meae propofuit optioni, vt, quod maxime placeret, disquifitioni meae academicae fubjicerem. Jam nunc haefitanti mihi, quam ex pluribus materiem praeferrem, Illuftris Praesidis beneuolentia fubuenit, qui prae reliquis mihi propofitis argumentis exponendam dejectionum viridium fimiliumque vomitionum naturam ac originem, vtpote quod non minus vfu fuo quoad artis exercitium maxime confpicuum, quam ob aliquam eruditorum de illo diffenfionem, exactiori perfcrutatione digniffimum effet, in primis mihi commendauit. Etfi vero meae probe confcius tenuitatis difficultatem exarandae accuratioris de hac materie tractationis facile praeuiderim, quippe minus inftructus illo certi fubactique de rebus medicis judicii fulcimento, quod propria demum experientia fuggerit, attamen beneuola lectorum fretus aequitate, id ipfum quod folidior Praeceptorum inftitutio et propria qualiscunque meditatio fubfeciuae lectioni addidit, hac de re proponendum duxi, fiquidem tamen aliquo in argumento vires publice periclitari, artis vfui initiandos ipfa falutaria jubeant academiarum inftituta. Nihil vero magis

in

in votis habeo, quam vt, quae expoſita ſiſtam, legiſſe et perpendiſſe, vſuique accommodaſſe non prorſus poeniteat, vtque Praeceptorum aeternum colendorum, et Illuſtris BVRGGRAVII mei approbatione non plane indigna videantur.

§. II.

Omni tempore, a primis quidem accuratioris ſcientiae medicae initiis, ad indolem et qualitatem quarumcunque ex corpore humano viuo ſponte prodeuntium aut naturae vi propulſarum materierum, vt abſconditas internorum affectiones inde cognoſcerent, valde attenderunt ſalutaris noſtrae artis peritiores magiſtri, vtque de aliis excretis plura jam obſeruationum exquiſitiſſima monumenta Graecos apud medicinae antiſtites reperire licet, ſic maxime quoque prolixos eosdem, atque de vero ſuis in praeceptionibus manifeſte ſollicitos, in enarrandis praeter naturam comparatis affectionibus aluo excretorum vomituque rejectorum deprehendimus. Neque videtur a quoquam poſteriorum ad noſtra vsque tempora aetatum plane neglecta eſſe diuerſimode alienatae per aluum vomitumque excretionis variis in morbis obſeruatio. Ad vitioſam vero eorum quae ex inteſtinali canale exterminantur qualitatem, vnde et plerumque ad aliquam corporis morboſam affectionem argumentari liceat, *colorem* illorum *viridem* quoque pertinere, niſi forte hic ipſe viridibus et innocuis ex ingeſtis

ortum

ortum habeat, perpetua obſeruatione ita comprobatum exiſtimamus, vt vlteriori confirmatione plane haud indigeat. Quumque ſatis etiam inter medicos conſtet, vomitiones dejectionesque viridium in corpore natorum ad phaenomena referri, quae grauioribus in morbis animaduerti ſolent, operae eſſe pretium nemo dubitauerit, vt, quo aptius inde affectiones internas dijudicare liceat, iſtorum in excretorum veriorem conditionem, quoad perſonata naturae facies permiſerit, inquirere ſtudeamus.

§. III.

Memorandae vero omnino erunt variae corporum humanorum affectiones, quibuscum viridium intus ortorum canali ex inteſtinali excretio frequentius conjuncta obſeruatur, ſiquidem iſtarum praecipua nobis habenda erit ratio in rejicienda vel amplectenda de coloris illius origine ſententia. Maxime primum notatu videtur dignum, nulla in aetate frequentius quam in infantili, variis cum incommodis valetudinis, dejectiones illas conjunctas eſſe. Ex his infantum affectionibus illorum inprimis lactantium ſic dicta tormina, ſi manifeſtius certiusque adeſſe cognoſcantur, ſibi ſociatas habere virides alui excretiones, vel ipſis mulierculis notiſſimum eſt. Vbi nempe lactantes tenelli atrocioribus inteſtinorum doloribus correpti videntur, quos vehementibus per interualla nonnunquam ſubito et

ex

ex improuiſo repetitis clamoribus, inſolita corporis incuruatione, impetuoſiori pedum extenſione, eorumque adductione ad abdomen, ſugendi appetitu fortiori, atque interrupta cum ejulatu ſuctione, ſignificare merito creduntur, ex aluo nonnunquam flaua ſecedunt, poſt breue tempus virideſcentia, alias excreta haecce viridia ſtatim reperiuntur, eademque vel dilutiori porraceo, vel profundiori aeruginoſo colore praedita. Et aliquando quidem vniuerſa, quae vna vice dejicitur maſſa, ſimilesque ſequentes plures aluo excretae faeces integrae, viridi colore tinctae ſunt, nonnunquam intermixtae ſaltim flauis, et albis grumis virides particulae reperiuntur. Sed fere perpetua quoque docet obſeruatio, eo grauius affligi tenellos, eoque facilius conuulſiuis illos motibus corripi ſolere, quo manifeſtior ſtatim viridis excretorum alui color, quo is profundior fuerit, quo plures faecum partes infecerit, quo diutius aluus clauſa manſerit, quo altius ad praecordia viridis materies conſederit, quo pluribus conſequentibus in dejectionibus idem color continuauerit. Neque enim facile, niſi cum eminentiori faecum viredine praeter memorata torminum ſigna, grauiores et pro ſpasmodicis verius habendas affectiones in puerulis obſeruaueris, ventris nempe murmura ſubitanea, impetuoſas flatuum ex ore aut ano eruptiones, abdominis aut diaphragmatis contractiones vehementiores, ſopores cum celeri oculorum nictatione, muſculorum faciei ad

morem ſubridentium contractione, per ſubſultum tremorem atque ejulatum interruptos, hisque ſuperuenientes eclampſias vel epilepticos motus.

§. IV.

Sed variae omnino lactentium haec tormina conjunctasque conuulſiuas affectiones, vbi ſimul viridia intus nata fuerint, praecedere ſolent cauſſae, quas notaſſe multum juuare poterit. Vnanimis videtur eſſe medentium conſenſus, omnium iſtorum originem ex acido, in primis viis infantum lactentium vndecunque nato; ſaepe repetendam eſſe, etſi ſemper in hoc officinae chyli vitio culpam torminum viridibus cum excretis junctorum haerere, non omnes largiantur. Veram acidi liberi in canali inteſtinali praeſentiam, quum lactentes tenelli iſtis moleſtiis afficiuntur, certo perſaepe foetor ipſe faecum, acidum ſpirans, rejectaque tunc aliquando per vomitum caſeoſa lactis coagula, ſimilem naribus halitum objicientia, vtique declarant, ſolidioresque particulae faecum, quas pro caſeoſis lactis coagulis facile habeas, quum vix niſi per acidum ſic diuidi lac potuiſſe videatur, idem confirmant. Nec dubitandum quoque, vbi tenelli torminibus cum viridium excretione infeſtantur, in ipſo inſtitutae nutritionis, et regiminis admiſſi modo, habita ſimul debilioris illorum corporis ratione, ejusmodi commiſſos errores haud raro deprehendi, quae acidi primis in viis infantum genera-

tioni

tioni maxime faueant. Et huc omnino pertinent nimis copioſa, vel juſto frequentior ventriculi ipſorum repletio, etiamſi lac optimum praebeatur, ſpiſſitudo praeterea lactis exhibiti major, quam tenelli pro aetate, viribusque ſuis ferre, ſuamque in naturam ſubigere valeant, lactis ipſius hauſti, ob viſcerum nutricis minus robur, ob deficiens corporis exercitium, ob ingeſta vere acida, vel, quod pejus eſſe videtur, talia, quae acidam in corruptionem prona ſunt, nimis aceſcens indoles; porro quoque huc retuleris exhibita infanti praeter lac alimenta aut potulenta, vel acida vel acidae corruptioni facile obnoxia, vel acidi etiam ex lacte hauſto extricationi fauentia; tandem quoque ſaepe transferenda merito culpa eſt in errores regiminis humidioris et calidioris infantibus adhibiti, quietis nimiae ipſis conceſſae, praecipue in aere clauſo et impuro, etiam intermiſſi mundandorum corporum ſtudii; ſiquidem et ex his cauſis chyli officina vitiatur, dum illae corpus integrum infirmant, ſpontaneaeque acidae lactis corruptioni anſam praebent. Vt vero in dubium vocare nequaquam auſim, ex cauſis ejusmodi, quae acidum liberius in primas vias infantum lactentium induxerunt, illiue ibidem extricando anſam dederunt, idque fouerunt, grauia tormina, quae et communis eſt ſententia, *a*)

 viri-

a) Ex plurimis, qui adduci poſſent magni nominis medicis, ſententiae hujus patronis, allegaſſe quosdam ſuffecerit. HARRIS

viridibus cum dejectionibus, oriri poſſe, *b*) feliceſque frequentiſſimos curationum, per abſorbentia terrea, *c*) ſapones alcalicos *d*) et alcalica ſalia *e*) in primis abſolutarum ſucceſſus, eandem originem confirmare; non ſine re tamen ancipitem adhuc haerere animum poſſe, variis permoti rationibus exiſtimamus, num virides infantum ſic afflictorum dejectiones vnice ab acido in primis illorum viis praeſente excitentur.

§. V.

Illuſtris PRAESIDIS mei ſollicitae obſeruationi praeſertim debeo, quam nunc propono adſertionem, non ſatis ita ſibi reſpondere certis ex indiciis prae-

RIS in *libr. de morb. ac inf.* edit. Amſtel. 1736. p. 31. quibusdam experimentis extra dubium poni docuit, *viridem faecum colorem acido admixto ſe prorſus debere.* Idem ſtatuit BAGLIV. *oper.* edit. Lugd. 1733. p. 429. ſuis etiam confiſus experimentis, quorum ſuo dein loco facienda erit mentio. Neque FR. HOFFMANNVS dubitat in *Med. rat. ſyſt. Tom. III. S. I. c. XIV.* §. 43. *p.* 329. vbicunque virides occurrunt Vomitiones vel alui dejectiones, hujus coloris cauſſam acido tribuere. Ipſe quoque TRALLESIVS de medicina ab ineptis antacidorum laudibus repurgata quam maxime meritus, *virideſcentem excrementorum colorem acidae acrimoniae praeſentiam ſtatim palam loqui,* aſſeuerat, *Exam. rigor. med. terreor.* p. 335. conf. Ejusd. *vſus opii, S. IV. p.* 151.

b) v. SWIETEN *comment.* in BOERH. *aph. Tom. I. p.* 16. *T. IV. p.* 681.

c) Idem *T. IV. p.* 662. HARRIS *de morb. ac inf.* p. 56. 101. TRALLES *de medic. terr.* p. 43. Idem *de opio, S. IV. p.* 151.

d) v. SWIETEN *Tom. IV.* §. 1356. *p.* 684. 685.

e) ROSEN v. ROSENSTEIN *von Kinderkr.* edit. Cel. MVRRAY, p. 32.

praeſens in primis infantum viis acidum et ferociam torminum et excretorum viriditatem, vt color hic illo ex acido vnice deriuandus videretur. Dantur puſiones vix aut parum queruli, quorum nutritio ex voto ſuccedit, ceterumque ſani, minimum a torminibus liberi, qui coagulatos lactis ex mammis nutricum hauſti grumos cum ſero mixtos, acidumque odorem manifeſtiſſime ſpargentes perſaepe euomunt, quorumque ipſorum faeces aluinas acidum habere foetorem nemo attentus negauerit, etſi flauae ſint neque per moram in linteis virideſcant. Sunt etiam, quibus ex aliquo ingeſtorum, ad acidam fermentationem procliuium, vitio, eodemque diu etiam continuato, ſaepe redeuntia et ad multos dies perſeuerantia tormina exoriuntur, quum faeces quidem valde acidum ſpirant foetorem, et coagulatas intermiſtas habent particulas, non viridi tamen ipſae, ſed flauo ſaltim aut ſubrubro colore ſint conſpicuae *a*). Neque autem facile, qui experientiam exactius conſuluerit, tam graues, tamque atroces lactentium affectiones, easque inter tormina quoque tam vehementia, animaduerterit ex illis, quae antea memorauimus, ingeſtorum vitiis, anſam acido certius praebentibus, nata, quam pluribus ex aliis cauſſis in tenellis oriri ſolent ſpasmodica et inteſtinalis canalis et capitis pectorisque mala, cum viridium dejectione conjun-

a) LENTILII *eteodr. med. pract. p.* 103. conf. JOH. STORCH *alias* PELARGVS *von Kinderkr.* I. Th. p. 278.

cta; quae quidem minime ſine hypotheſi, eaque dubiis adhuc obnoxia, praeſente ab acido deriuaueris. Vbi enim nimis aceſcente vel acido etiam victu nutrix vtatur, vbi corpus non ſatis exerceat, vbi pulticulas minus bene, ſic, vt acidi extricationi faueant, praeparatas puſioni dederit, vbi nimio lacte vel alio alimentorum genere, non penitus tamen ab infantis natura alieno, ejus ventriculum repleuerit, cum ipſa modo nutrix corpore animoque ſana, nec infans alia quadam affectione laceſſitus fuerit, omnino lentius inuadere tormina, eademque mitiora, ac diutius ſine periculo tolerabilia permanere videntur, neque ita facile ad profundiorem viredinem ſinceram color faecum procedere ſolet, etſi praeſentis acidi in prima infantis regione certiſſima ſint indicia, quam cum cauſſae, neruoſum infantum ſyſtema propius veriusque laceſſentes, tormina praeceſſerint.

§. VI.

Maxime autem obnoxii ſunt infantes, praeſertim lactentes, hujus generis cauſſis, neruorum functionem ſtimulo minus cognito perturbantibus, et vbi vel nullum, quod ſenſibus percipi poſſet, humorum aut nutrimenti vitium, vel ſaltim non tale praeceſſerit, cui ſufficientem ea ratione nocendi poteſtatem tribuere liceat. Eſt ex atrociſſimis et vix non ſemper lethalibus infantum hujus loci, recens aut paucos ante dies natorum affectionibus,

teta-

tetanus ille cum muſculorum, in primis qui in maxillis ſunt, diſtentione conſpicuus, ab ARETAEO *a*) jam generatim, etiam ab aliis veterum deſcriptus, ſed, qualis modo apud nos occurrere ſoleat, accuratiſſime, et viuis quaſi coloribus depictus, a beato olim noſtro BRENDELIO. *b*) Etiam huic morborum generi ſolemne eſt, hoc ſummo Viro notante, aluo et ore excretorum varios pejoris indolis colores, eosque inter et viridem, ſine acidi praeſentis indicio eſſe, dum, vt ait, *c*) *excrementa hactenus aridis meconii reliquiis mixta, paulatim eliduntur liquida, impetu conniſuque vehementi ſpaſticoque, viridia, rutila, ſpumoſa, horribilem, prorſus vt in malignis, ſpirantia mephitim: aluoque reddita, quaſi deliquium animi eſt. Nonnulli et viridia et liuida multa foetidiſſima vomunt, quin os nonnullis male olet.* Facile haec in mentem reuocarint periculi ſummi vel exitii quoque praedictiones Hippocraticas, quum *vitioſum varium, abunde coloratum alui excrementum, eoque deterius, quo colore formidandum magis*, ibi cenſetur. *d*) Alibi inter *exitiales refertur dejectio liuida cum odoris grauitate, neque multo inferior habetur ipſa viridis.* *e*) Pariterque *virides vomitus et liuidos f*),

 omnes-

a) *De cauſ. et ſign. morb. acut. cap. VI.*

b) *In progr. de ſpaſmo maxillae inferioris infantili. Goetting. 1755.*

c) *pag. 5.*

d) *coac. n. 608.*

e) *coac. n. 631.*

f) *coac. n. 556, et praenot. n. 82.*

omnesque fubputres g) ipfe Cous *vitiofos et malos declarat:* quae omnia de morbis praefertim febrilibus, ex malignitate neruofum fyftema affectum fiftentibus intelligenda effe, quorum genere morbum hunc infantilem comprehendi BRENDELIVS docuit, minime dubitandum. Initium quidem hujus mali, eodem ipfo fentiente, *h*) in neruis potiffimum quinti paris et propiora cum illo commercia habentibus vltro fe offert, fed vndenam iftuc impetus fiat, non aeque patet. Confirmat neruofam hujus mali originem auxiliatricis naturae falutare molimen fuppuratorium *i*), vetantque foetor excretorum potius putridus, quam acidus, totiesque in caffum tentata medicatio per terrea, per fapones, per alcalica volatilia, exhibita, quo minus acido in primis infantum viis praefenti culpam hac in affectione excitanda tribuamus.

§. VII.

Memoratu porro digniffimae videntur ex nutricum lacte in pufiones lactentes deriuari folitae quaedam torminum caufae, quae quidem cum tenellis communicatam neruofam affectionem, minime vero fine mera hypothefi perpetuam acidi praefentiam declarare poffunt, quum viridia cernuntur ab infantibus dejecta, vel ore excuffa. Docet primum haud raro experientia, lactentes, quo tempore catame-

g) *Praenot. n.* 85.
h) *Progr. laudati* §. 4.
i) *ibid.* §. 5.

tamenia nutricibus inſtant, aut fluunt, male ſe habere, inquietos ſolitoque magis querulos eſſe, terroribus in ſomno affligi, tenſionibusque artuum intestinorum dolores indicare, facilius vomere, atque viridia nonnunquam dejicere, etſi acidi nulla, ſaltim initio, fundata ſuſpicio ſit. *a*) Suam ad experientiam prouocat PELARGVS, monens, ex periodicis ejusmodi menſtruis morboſis lactentium affectionibus, ad catameniorum in nutricibus fluxum veriſimillime concludendum eſſe. Eo autem facilius ita infantes affici ex redeunte nutricibus menſtruo fluxu innuit Perill. ROSEN de ROSENSTEIN, quod idem illis plerumque cum torminibus incidere ſolet *b*). Sed nec ſenſibilitas illa aucta in feminis, cum ſanguinis e genitalibus fluxus imminet, nec aeſtus ille vteri, aut lumborum capitisue dolor, aut inteſtinorum diſtenſio, quae alias eo tempore mulierculas affligunt, neque exortam a fluxu imbecillitatem aliquando ſubſequens hyſterica nonnullarum functionum perturbatio, lactis ſui majorem quam alias procliuitatem in acidam corruptionem extra dubium ponunt, attamen laceſſitum vario modo ſyſtema neruoſum feminarum ſatis manifeſte declarant. Qui etiam plane non admittunt, certas animorum propenſiones in tenellos cum nutricum

 lacte

a) v. STORCH alias PELARGI VII. *Band. von Weiberkranckh. p.* 237. *caſ. CX.* praeſertim vero *p.* 63. Conf. & SCHAARSCHMIDT *med. und chirurg. Nachr. VI. Iahrg. p.* 238.

b) *von Kaentn. und Cur der Kinderkr. p.* 8, 9. 21.

lacte poſſe deriuari, quae ſententia nonnullis obſeruatione ipſa conſtare viſa eſt c), minime tamen in dubium vocare ſolent neruoſos nutricum morbos, nec vlla conſpicuos vitioſa materie, cum infantibus communicari d), vbi etiam nulla probabilis adeſt acidi ex lacte hoc facilius extricandi conjectura.

§. VIII.

Propinqua huic modo memorato et neruoſo quaſi lactis vitio affinitas eſt cum illa inſigni pathematum animi nutricum in ſuos lactentes poteſtate. Fere perpetua autem obſeruatione conſtat, etſi contraria etiam, ſed rariora, exempla dari non inficiemur a), ex ira praeſertim et excandeſcentia lactantium, niſi juſtae cautiones adhibitae fuerint, quum infantibus vbera, vel ipſo adhuc praeſente animi affectu, vel breui poſt quam ceſſauerit, admoueantur, optimum alias alimentum in venenum quaſi permutatum deprehendi. Tempore nimirum incerto, poſtquam tale lac ſuxerint infantes, frequentiſſime poſt plures, et aliquando vltra XXIV. demum horas, incipiunt ejulare, vehementius calcitrare, ſopore per interualla opprimi, eoque durante

c) HELMONT *de infant. nutrit.* p. 622. CHRIST. IO. LANGII *Diſſ. de requiſitis bonae nutricis*, §. 25. STORCH al. PELARGVS *von ſtillend. Weib. und Säugammen*, p. 167. et p. 57. *ſeqq.* Contrariam ſententiam tuetur v. SWIETEN *comment. in Boerh. aph.* Tom. IV. p. 668. de HALLER *Phyſiol.* Tom. VII. P. II. p. 27.

d) v. SWIETEN *loco modo alleg.* p. 671. de HALLER *l. c.* p. 20.

a) v. LANGII *Diſſ. alleg.* §. 27.

rante ſaepe quiritari, palpebris nictari, hisque ſemiapertis oculos tremulo motu huc illuc vertere, dein quaſi ex terrore concuti, euigilare, valde clamare. Mammam tunc facile recuſant, aut ſaltim dimittunt. Quibus tunc aluus diutius ſuppreſſa manſerit, neque vomitus leuamento contigerit, frequenter grauius afficiuntur. Facies tunc multum rubere, reſpiratio inaequalis et conuulſiua fieri, corpus, et praecipue quidem caput et pectus aeſtuare, atque ſubito nonnunquam epileptici motus, quandoque lethales obſeruati, ſuccedere ſolent. Hac irae noxa vix inferior ſubitanei terroris nutricum poteſtas haberi ſolet *b*), quae tamen, etſi ſtagnationi lactis in vberibus praeſentis horumque eryſipelati facilius anſam praebeat, ſecundum experientiam, indole quidem parem, ſed nonnihil mitiorem, efficaciam in tenellos exſerere videtur. Memorabile, ſimilem quoque catello noxam intuliſſe lac feminae grauiter perterritae, quae illum, ne infans ipſe periculum ſubiret, vberibus admouerat; animal enim graui correptum eſt epilepſia, mithridatio tamen exhibito dein perfecte ſublata *c*). In iis autem infantibus, qui ſpaſmodicis affectionibus ex lacte nutricum ira vel terrore percitarum corripiuntur, aluo ſoluta, nunquam fere non, quod ipſum vulgaris docet experientia, virides faeces dejiciunt, aliquando et viridia euomunt, qualibus

b) ROSEN v. ROSENSTEIN *libr. laud.* p. 12.

c) ETTMVLLER *oper.* T. II. P. II. p. 3?0. obſ. XLVI.

libus tunc in excretis minime ſemper acidi eminentis admixti certa indicia deprehenduntur. Et notatu videtur dignum, animi nutricum affectus illos, qui languorem inducere ſolent, quo triſtitiam, curam, metum, occultum amorem perſonae vel rei, cujus negata poſſeſſio fuerit, retuleris, longe certius acidae lactis corruptioni anſam praebere poſſe, vnde tamen omnino rarius multo lentiusque, ſi forte accidat, nec pari cum damno quam ex ira et terrore, color alui excretorum in viridem permutari obſeruatur.

§. IX.

Ad infantum praeterea quoque affectiones, viridium dejectioni quandoque et vomitioni anſam praebentes, praeſertim referri dentitio meretur, cujus incommoda vna cum illis, quae vermibus debentur, ex earum numero infantilium affectionum cel. Tralles expreſſe excepit, quas acida viſcidaque primarum viarum colluuies excitare ſolet *a)*. Adeſt nonnunquam inquietudo, praeter conſuetudinem ejulant, minus tranquillus eſt ſomnus, calent etiam ſolito magis, praeſertim in altera gena, et in ore, et in loco affectae maxillae, laxior aluus fit, quum propinqua eſt dentis vnius pluriumue ſimul eruptio, at niſi ad neruos manifeſtiori modo transferatur irritamenti poteſtas, quod craſſioribus, aluumque

a) Examen rigoroſ. terreor. med. p. 45.

uumque duriorem habentibus facilius accidit *b*), ſi nec alia forte ſubſit cauſſa, color alui excretorum vix vnquam in viridem permutatus deprehenditur. Sed vbi membra dormientibus, ex terrore quaſi, contremiſcant et concutiantur, palpebrae et oculi motitentur, faciei muſculi ad morem ſubridentium vel aliter quoque contrahantur, ſi ſopor incidat, vnde difficilius excitari queant, ſponteque cum vehementi ejulatu nonnunquam expergiſcantur, vt animi etiam perceptio alienata eſſe videatur, quum praeter ſolitum morem calcitrent, ventrem contrahant, dorſum ad anteriora ac poſteriora incuruent, conuulſiuo modo tuſſiant, vomantque, atque vbi denique veri accedant epileptici motus, vix non ſemper excretorum alui, ſiue ſponte ſolutae ſiue artis ope motae, nonnunquam et ore excuſſorum, viridis color obſeruatur. Etſi equidem hic etiam acidae infantum in primis viis colluuiei variae certiores cauſſae cum dentitione conjunctae eſſe, ipſaque praeſentis acidi ſigna ſeſe manifeſtare ſimul queant, nequaquam tamen in his ſecundum phaenomena recenſita, ita generalis quam in grauius affecto ſyſtemate neruoſo, conditio ponenda videtur, qua viridia fiant, quae aluo et ore excernuntur. Quare quoque Perill. van Swieten, *ſi faeces*, ait, *dentitionis tempore, ſubito fiant aeruginoſae, tunc periti Medici conuulſiones metuere ſolent, quia ex illa coloris mutatione concludunt ſenſorium commune et to-*

tum

b) HIPPOCR. *aphor*. S. III. n. 25.

tum neruofum fyftema turbari c). Ipfe quoque BOERHAAVIVS hafce turbas cunctas *fublata irritatione neruorum fponte ceffare* affeuerauit *d*).

§. X.

Jam et aliarum quoque affectionum injicienda erit mentio, tum communium infantili aetati cum qualibet adultiori, tum et quarundam ab illa fere alienarum, in quas viridium dejectiones paresque vomitus incidere, obferuando conftitit. In morbis febrilibus, et eis quidem praecipue, quos, ob grauius laceffitum fyftema neruofum, pejoris effe indolis non dubitaueris, fiue ex intermittentium, fiue remittentium, fiue ex continentium genere fuerint, in primis id phaenomenon faepius apparuit. Perniciofis illis in febribus intermittentibus, per grauem foporem, vel ftuporem ac defipientiam, vel infultus apoplectici fpeciem, febrili cum paroxyfmo inuadentem, diftingui folitis, vt Ill. WERLHOFIVS *infignem bilis ferociam toti corpori et capiti maxime infenfam, bilisque praecipue officinam, crafin et directionem valde vitiatam* animaduertit, *a*) fic id ipfum alii, quod ad colores etiam bilis vitiatos, confirmarunt. Ill. SENACVS immanem faepe initio paroxyfmorum vomitum vrgere, et *biliofum magma vitellinum, porraceum, foetidum rejici*, aliquoties cruenta et nigra furfum

c) *Comment. in Boerh. aphor. T. IV. p. 747. §. 1374.*

d) *aph. §* 1376.

a) *obferu. de febr. S. I. §. VIII. p. 27.*

ſurſum ferri, eademque *per ſeceſſum a quibusdam aegris dejici*, ſimilium in febrium hiſtoria accurate notauit *b*). Cel. Frid. Casim. Medicvs in cadaueribus aegrorum ejusmodi febre defunctorum varie praeter naturam coloratam copioſam bilem, praeſertim quoque viridem deprehendit *c*). Mitioribus ordinariis in febribus intermittentibus vero, quamuis manifeſte bilioſae fuerint, rarior viridis color eſſe ſolet ore vel ano excretorum, niſi ſaltem peculiare ſymptoma neruoſum, veluti cephalaea, hemicrania, lumborum dolor, vertigo, angor, cholera *d*), delirium conjunctum ſit. Bilem quidem varie mutatam, citrinam, praſinam, coeruleamue, propriam intermittentis febris materiam eſſe Fernelivs aſſeuerare auſus eſt *e*), quam tamen ſententiam generatim amplecti nolim. In continuis febribus, praeſertim putridis bilioſis, vel aliunde quoque malignis, viridium vomitiones dejectionesque non raro licuit obſeruare. In febre epidemica petechiali Culenburgenſium a. 1741. a Kloeckhofio deſcripta *f*), cui acida potulenta maxime conuenerunt, praecordiorum angor, atrox capitis et lumborum dolor fuit, plurimaeque inciderunt bilioſae flauae, virides ac nigricantes dejectiones, ſimiliumque vomitus. Breuem mentionem febris bilioſae, valde

b) *De recond. febr. intermitt. et remitt. natura, p. 75.*

c) *Medic. Beobacht. I. B. p. 71. 139.*

d) TORTI *therapeut. ſpec. p. 275.*

e) *Pathol. L. IV. C. X. p. m. 344.*

f) *opuſc. med. p. 4. 16.*

valde putridae et periculoſae, in occidentali India epidemicae, facit Ill. PRINGLE, cui morbo nonnunquam vomitus materiae viridis et bilioſae, alio tempore atrae et cruentae juncti ſint *g*). Alibi a ſe obſeruatam autumnalem febrem bilioſam deſcribit, varios ob dolores et ob grauia ſymptomata moleſtiſſimam, cum rejectione viridis vel flauae bilis foetidae conjunctam *h*). Generatim febribus malignis et peſtilentibus praſinam, coeruleam et atram bilem putreſcentem facile anſam praebere, FERNELIVS aſſerere non dubitauit *i*). Eademque fere HVXHAMI ſententia eſt, quam obſeruatione morborum propria, et optimo ſuae medelae ſucceſſu confirmat *k*). De peſte Athenienſi THVCYDIDES memorauit, *κατεβαινεν ἐς τα ϛηθη ὁ πονος, μετα βηχος ἰσχυρȣ, και ὁποτε ἐς την καρδιαν ϛηριξας, ἀνεϛρεφε τε ἀυτην, και ἀποκαθαρσεις χολης πασαι, ὁσαι υπο ἰατρων ὠνομασμεναι ἐισιν, ἐπῃεσαν.* De peſte Maſſilienſi refert praecipuus hujus morbi obſeruator cl. CHICOYNEAV, accidiſſe aegris ſpeciem ſtuporis, dolorem capitis grauatiuum, interiorem caloris vrentis ſenſum, et cardialgiam frequentem, hisque ſymptomatibus etiam ſe aſſociaſſe narrat: *des nauſées, des vomiſſemens bilieux verdâtres, noirâtres, ſanglans,*

des

g) *Beob. über die Krankh. einer Arm. p.* 221.

h) *ibid. p.* 191.

i) *Pathol. L. IV. C. XVII. p. m.* 355.

k) *oper. phyſ. med. Tom. II. p.* 110-113.

des cours de ventre de la meme eſpece l). Communemque pluribus hoc ex morbo demortuorum cadaueribus conditionem fuiſſe, CL. SOVLLIER, qui pluribus celeberrimis Medicis adſtantibus ſuas obſeruationes inſtituit, memorat: *La veſicule de fiel, l'eſtomach et les boyaux remplis d'une bile verdâtre, mais d'un verd foncé; en un mot, pareille à celle que la plupart des malades rejettoient par le vomiſſement ou par les ſelles m*). Prae aliis autem, vbi ex perturbato ſyſtemate neruoſo in febribus animales functiones grauius laeſae ſint, vbi deliria, praeſertim phrenitica, ſopores, et conuulſiones inciderint, frequentius color viridis in aluo dejecta aut ore excuſſa materie obſeruatus eſſe videtur. Ad phrenitidem in primis pertinere non facile quis dubitauerit HIPPOCRATIS illud praeſagium, vbi et alia plura de hoc morbo obſeruata tradidit, *quod capitis dolore afflicti, cum ſurditate vigilantes, quum aeruginoſa vomant, cito vehementer deſipiant n*). Sola etiam de phrenitide Hippocraticum hocce dictum intellexit GALENVS *o*). Habetque hujusmodi phreniticorum, qui aeruginoſa prius vomuerunt, quam deliria ingruerent, bina exempla

l) *Traité des cauſes, des accidens et de la cure de la peſte.* a Paris, 1744. p. 225.

m) *ibid. p.* 261.

n) *Praedict.* I. *n.* 10.

o) *Comm. in prorrhet. Hipp. Edit. Froben.* Baſil. 1561. Claſſ. 4. p. 333. D.

pla ipſe HIPPOCRATES *p*). Diuus etiam BOERHAAVIVS ejusque magnus commentator vomitum aeruginoſum ratione inflammati cerebri ad ſigna periculoſae phrenitidis retulerunt *q*). Verum non ſolius phrenitici, ſed quoque aliorum fugacium deliriorum, ſymptomatum inſtar varias ad acutas accedentium, junctim cum aliis, indicia vomitus virides nonnunquam praebent, eo tamen certius, quo magis alicujus febris indoles cum phrenitide conuenerit *r*). Aliquando etiam vomitionibus hiſce deliria et alia ſymptomata febrilia fauſtiſſimo cum ſucceſſu ſedari plane et abigi deprehenduntur *s*). Connexionem autem hujus viridis rejectorum coloris cum affectionibus comatoſis et conuulſionibus, ea ipſa, quae jam expoſui, ſatis declarant, ſiquidem atro-

p) *Epid. L. III. Sect. II. aegr. 4. edit. Lind. Tom. I. p. 716. et Sect. III. aegr. 4. Tom. I. p. 733.*

q) *comment. in aphor.* BOERHAAVII, §. 774. *Tom. II. p.* 599. Viridium quoque vomitionem, quae phrenitidem lethalem praeceſſerat, in homine pluribus jam vicibus thoracis inflammationibus cum ſimilis bilioſae materiae vomitu, vexato, refert MORGAGNI de cauſſ. et ſed. morb. epiſt. VII. n. 13. Valde memorabilem Ill. PRAESES meus obſeruationem habuit phrenitidis tardius funeſtae, qua defuncti cadauer, praeter alia multa, id peculiare vitium ad bilioſos extra hepar ductus exhibuit, quod hepaticus cyſticusque, ipſo in loco ſuae conjunctionis, ab indurata glandula, caſtaneae magnitudinem habente, penitus ita compreſſi fuerint, vt fellea veſicula, quae a bilis profunde viridis et fluidioris fere vnciis duabus et ſemis valde diſtenta erat, hujus humoris plane nihil ad inteſtinum duodenum demittere potuerit.

r) *conf.* PROSP. ALPIN. *de praeſag. vita et morte, p.* 83.

s) *Idem, p.* 477.

atrociora haec ſymptomata adultis non facile *t*), praeterquam hyſtericis *u*), quum febribus correpti ſunt, accidere ſoleant, niſi hac pejoris indolis, et ad phrenitidem vel quodam modo accedentis, fuerint, quare et HIPPOCRATES meminit: *phreniticis conuulſiones, ſed et virulenta vomunt, et ex iis quidam ſubito moriuntur x*), vt in Philiſta phrenitico fuit obſeruatum *y*). Pariterque ſoporum, quos vbique malos habet *z*), in phreniticis frequentem ipſe facit mentionem *aa*). Aliasque ad grauiora difficilium febrium ſymptomata illum refert, vt, cum *ex praecordiorum dolore ob ortas febres κακοηθεες atque το καρωδες in illis peſſimum eſſe* tradit *bb*); ipſas etiam *conuulſiones per ſoporem, deſipientiae aut capitis dolori junctum*, portendi, aſſeuerat *cc*).

§. XI.

Ob aliquam harum affectionum cum rabie aut hydrophobia ex morſu contagioſo nata conuenientiam, hujus aliqua etiam facienda hic erit mentio. Vt morbum hunc in grauiter laeſo ſyſtemate neruoſo potiſſimum initio conſiſtere, optimi obſeruato-

t) HIPPOCR. *prognoſt. n.* 151. 152. *Coac. n.* 357.
u) Idem *prorrhet. I. n.* 121.
x) *Epid. I.* conf. PROSP. ALPINVS *l. c. p.* 97.
y) *Epid.* III. *S. II. aegr.* 4.
z) *Coac. n.* 178.
aa) *Prorrhet. l.* 1. *Coac. n.* 179.
bb) *Coac. n.* 31. Conferri quoque merentur *Coac.* 7. 35. 186.
cc) *Coac. n.* 84. 174. 185.

res confentiunt *a*), ita nec a praecedentium natura, quoad vitiatam bilis officinam et crafin, frequentius cum illis conjunctam, multum difcrepat. Eft equidem aliqua in conftituendo generali nomine hujus atrociffimae affectionis difficultas, quod multi ad vltimum vsque vitae halitum vix aut parum delirent *b*), et hydrophobia non folum varios, quoad integrum decurfum, gradus admittat *c*), fed plane quoque abeffe poffit *d*). Inter grauiffima autem varia,

a) BOERHAAVE *aphor.* §. 1142. et v. SWIETEN Tom. III. p. 566 567. MEAD *expofit. venen. edit. Goetting. p.* 110. NVGENT *Effay on the hydrophobie p.* 45. *feqq.* et *p.* 83. HVXHAM *oper. phyf. med. Tom. II. p. 76.*

b) BOERHAAVE *aphor.* §. 1138. hoc ipfum clare docuit, et SALIVS DIVERSVS inter veriora et conftantia hujus morbi figna delirium noluit numerari. Retulitque fe vidiffe, in quibus nulla vnquam fuit vel minima delirii fufpicio. *De febre peftilent. etc. p.* 355. Raro penitus delirare hydrophobos, et aliquem, per totum hujus morbi decurfum melius quam fanitatis tempore ratiocinari vifum, citatis obferuationibus probat v. SWIETEN *comment. T. III. p.* 577.

c) Quandoque enim hydrophobi aliquam liquidorum partem deglutire poffunt, fed cum difficultate plerumque magna, varia tamen pro diuerfa indole potulentorum vel medicamentorum. Etiam qui confpectum aquae tolerare non potuit, jufculum tamen deglutiit. Vide SAVVAGES *diff. de la Rage p.* 12. Conf. quoque MORGAGNI *de cauff. et fed. morb. ep. VIII. n. VI.* RIDLEY *obf. XXV. p.* 123. et TISSOT *avis au peuple, p.* 212. §. 191.

d) Hujus exempla, in quibus nihilominus etiam breui fecuta mors eft, fide digniffima habent MEAD *de venenis, p.* 112. et IAMES *treatife on canine madneff. p.* 2. *feqq.* qui et refert canem jam rabidum lac lambiffe, alium per aquas trajeciffe. Conferri de his omnibus meretur confentiens MORGAGNVS *de cauff. et fed. morb. ep. VIII. n.* 19.

ria, praecipue autem conuulſiua pathemata, memorabilis etiam eſt bilis viridis aut glutinis fuſci, nonnunquam foetidi, vomitus *e*). In vltimo ſtadio vomitum fellis et frequentius nigri accidere, ſtomachumque inde praecipue et grauedine ſubſultuque affici CAELIVS jam AVRELIANVS retulit *f*). Etiam in exemplo valde memorabili, ſine externo contagio, in adoleſcente natae hydrophobiae, qui ſumme excandeſcens ira proprium digitum indicem momordit, et intra viginti quatuor horas jam aquae metu affectus eſt, legitur, primum illi aeruginoſae materiae, dein bilis ſincerae vomitum contigiſſe *g*). Cum his maxime conſentiunt, quae cadauerum ſectio in rabie defunctis docuit. In aliquo cadauere nihil aliud praeternaturale in viſceribus deprehenſum eſt, quam ingens copia viſcidae virideſcentis bilis *h*). Secundum obſeruata ſua in diſſectione quatuor cadauerum rabidorum canum et trium hominum rabie extinctorum b. BRENDELIVS tradidit; bilem cyſticam fuiſſe atro viridem, foetidam, grumoſam, veſiculam felleam luridam vel atram, quaſi gangraenoſam, et putrilagine ſolutam, hepar quoque maculis varii coloris, et putrefactis locis, per

 ipſam

e) BOERHAAVE *aphor.* §. 1138. et v. SWIETEN *comment. T. III. p.* 555.

f) *De morbis acutis*, *L.* III. *c. XI. XII. et XIV. p. m.* 226. Idem maxime confirmat hiſtoria hydrophobi apud LISTERVM *de hydrophob. p.* 43. et inde quoque apud BONETVM *ſepulchr. anat. Tom. I. p.* 213. 214.

g) *Miſc. N. C. Dec.* 3. *a.* 9. *et* 10. *app. p.* 249.

h) *Philoſ. Transact. Abridg. T. V. p.* 368.

ipſam quoque penitiorem ſubſtantiam, affectum fuiſſe *i*). Saepe in ventriculo, qualis vomitu rejicitur, viſcidam, glutinoſam, viridem vel alius coloris bilem, in cyſtide fellea vero tenacem ſimiliter nigricantem occurrere, cl. IAMES quoque memoriae prodidit *k*). Variis quidem, ſed maxime probabilibus ex rationibus, hi bini vltimo laudati Viri in eo conueniunt, quod primum, vbi hydrophobica paſſio inceperit, hepar et bilis afficiatur, atque inde origo atrociſſimorum ſymptomatum repetenda ſit *l*). Adjicimus his illam in hydrophoborum cadaueribus nonnunquam, neque raro *m*), non ſemper tamen *n*), obſer-

i) cel. SCHRADER *obſeru. rarior. faſc. I. p.* 50. vbi ex b. BRENDELII praelectionibus practicis iſta inſerta leguntur.

k) *Treatiſe on canine madneſſ. p.* 63. *ſeqq.* In BONETI obſ. II. etiam veſicula fellea bile viridiuſcula plena, et quod mirum, ventriculi interior tunica corrupta, vt digitis abradi poſſet, reperta eſt. *Sepulchr. anatom. T. I. p.* 212. Bilem in ſua veſicula nigerrimam fuiſſe refert MORGAGNVS *de cauſ. et ſed. morb. epiſt. III. n.* 23. In alius hydrophobi cadauere ventriculus aquam ex flauo virentem continuit, et veſicula fellea pleniſſima fuit fellis non nigricantis quidem, ſed fuſcae. *Ibid. n.* 25. In vno tamen croceam in veſicula bilem et colore croceo inteſtinum duodenum inficientem repertam fuiſſe memorat n. 27.

l) cel. SCHRADER *l. c. p.* 51. IAMES *l. c. p.* 80. *ſeqq.*

m) MORGAGNI *de cauſ. et ſed. morb. epiſt. VIII. n.* 23. *n.* 30. *ad finem*, et *n.* 31. *ad finem.* Vide et *acta Acad. Mogunt. ſcient. vtil. T. I. p.* 341. Etiam paulo poſt obitum ſecta cadauera vehementer foetere, generatim aſſerit SAVVAGES *noſol. method. T. III. P. I. p.* 356.

n) Cadauer hominis grauius hoc morbo vexati, vel poſt horas amplius viginti quatuor, et tempore anni feruentiſſimo, non valde foetuiſſe memorat MORGAGNVS *epiſt.* VIII. *n.* 25.

obſeruatam conditionem, quae nec inutilis apparet, quoad humorum indolem, durante hydrophobia, propius quodammodo cognoſcendam, quod nempe celerius quam alias, et quam inexpertus facile crederet, valde foeteant, turgeantque, et manifeſtiſſima exhibeant putridae corruptionis indicia. Refert Ill. MORGAGNI de tali cadauere, etſi decima ſexta a morte hora, non tardius inciſum eſt, et tempeſtas magis ad frigus vergeret, quam eo tempore ſoleat, erat nempe medius September, jam tamen adeo male olebat, vt feſtinare ſecantem cogeret *o*).

§. XII.

Subjungimus his valde doloroſos aliquos abdominis morbos, ad acutos etiam referendos, dyſenteriam nempe et choleram, vitiatae et acrioris bilis efficaciae a plerisque adſcribi ſolitos. Ad variam bilis indolem et colorem in exponenda prognoſi de dyſentericis veteres reſpexiſſe, cuique ſatis exploratum, qui monumenta illorum conſuluerit *a*): In dyſenteria illa grauiſſima Nouiomagenſi, quam ſummo ſtudio et accuratione deſcripſit b. Io. HARTM. DEGNER, initio faeces per aluum ejectae flauae, aut potius ſubrufae erant, ſed ſenſim aut fiebant porraceae, aeruginoſae aut ſubcruentae, etc. Materia per vomitum ejecta in aliis a faeci-

o) *L. c. ep.* VIII. *n.* 23.

a) HIPPOCR. *aphor. S.* VII. 23. *aphor. S.* IV, 24. ARETAEVS *de cauſ. et ſign. morb. diut. L.* II. *c.* IX.

bus aluinis parum differebat, bonumque indicium in iis fuisse, refert alibi *b*), qui bilem flauam, et adhuc magis, qui bilem viridem, vel sponte vel exhibito medicamento vomitu aut dejectionibus aluinis excernebant *c*). Insignem saepe in hoc morborum genere, et ejusmodi praesertim, qualem DEGNERVS descripsit, corruptionis humorum putridae gradum dari, in dubium nemo facile vocauerit, ipseque DEGNERVS ortum ejus ex bilis acrimonia et corruptione putredinosa stabilire annisus est *d*), cui et infringendae acida maxime conuenirent *e*). Bili corruptae ac putrescenti magna ex parte originem dysenteriae praebere, Ill. PRINGLE docuit, tribusque in cadaueribus inde mortuorum bilem cysticam fusci coloris fuisse memorat *f*). In cholera autem, praecipue illa fere spontanea biliosa, aestiua et autumnali, vel etiam in corporibus πικροχολοις, iracundia vehementiori, ingestisque acribus et venenatis excitata, bilis vitia quam manifestissima esse solent, quae tunc vel propria sua efficacia, vel inducta inanitione, non raro magnum vitae afferunt periculum. Complura quidem in scriptis Hippocratis memorata diaetae vitia reperimus, violentiori

acidae

b) *Histor. med. de dysent. bilios. contag. Traject. ad Rhen.* 1754. *p.* 16.

c) *pag.* 22.

d) *pag.* 113.

e) *pag.* 223. *nota* (*g*)

f) *Beobacht. über die Krankh. einer Armee, pag.* 243. 250. Conf. et MONRO *von Feld-Krankh. pag.* 58. *et* 59. *not.* (*f*)

acidae fermentationi fauentia, quae hunc morbum generare valerent, qualem ſimilium ingeſtorum noxam et hodierna experientia ſatis ſuperque confirmat g). Vt vero alia quoque ſunt inter ea, quae Hippocrates hujus morbi cauſſas eſſe refert, ad putridam corruptionem procliuiora, ita omnino quoque differentia ſe palam offert inter *choleram morbum legitimum* Sydenhami et illum, quem hic ipſe ingluuiei et crapulae, praeſertim nimiae fructuum horaeorum ingeſtioni tribuit *h*). Et hac de cholera legitima ſine dubio intelligendus eſt praeſtantiſſimus Tissotvs, quum ait: *Cette maladie, qui depend toujours d'une bile exceſſivement acre, a lieu ordinairement à la fin du mois de Iuillet et dans le mois d'Aout; ſur tout, s'il a fait de grandes chaleurs, et s'il n'y a pas eu des fruits d'été, dont l'uſage tempere l'acreté putreſcente de la bile i*). Quoad ejectorum vero indolem, omnes, qui exactius illam exponere ſusceperunt, in eo plane conſentiunt, quae Caelivs Avrelianvs jam tradidit: *ſurgit paſſio jugis vomitus, et primo corrupti cibi, ſicut frequenter occurrit, et humoris atque fellis flauidi, dehinc vitellis ouorum ſimilis, tunc praſini atque aeruginoſi, vltimo etiam nigri; ventris quoque turbatio cum dolore, et egeſtio vomitorum ſimilis k*). Fere ſimilem plane deſcriptionem ore et

g) *Epid. V. Lind. T. I. pag.* 788. *C. XXVII. n.* 6. *ſqq. Epid. VII. p.* 862 *C. XL. n.* 8. *ſeqq.*

h) *Oper. S.* IV. *cap.* II. *Edit. Lugd.* 1754. *p.* 175. 177.

i) *Avis au peuple, Edit.* 1766. *pag.* 353. §. 322.

k) *De morb. acut. L.* III. *C. XX.* conf. LOMMII *obſ. med. pag.* 150.

aluo prodeuntium exhibuit Fr. Hoffmannvs *l*). Et Hvxhamvs in plurimis valde feruidis Iulii mensis 1741. diebus, cum febres multae putridae quoque occurrerent, magna cum oppressione praecordiorum, arida lingua, et vrina valde biliosa, *choleram et diarrhoeam valde frequentem* etiam obseruauit, *quibus porracea, nigra rejecta, tormina plerumque multum saeuierunt, bilisque subatrae plurimum dejectum fuit m*). Pariter Tissotvs de simili cholera refert: *les matieres sont jaunes, vertes, brunes, blanches, noires; les douleurs fortes dans le bas ventre n*). In perniciosa quoque febrium intermittentium specie, cujus paroxysmis cholerica passio se associat, humores ore atque aluo ejectos bile vtplurimum prasina vel aeruginosa refertos memorat quoque Torti *o*). Ejusmodi cholerarum speciem fere penitus quoque referunt atroces et conuulsiuae vomitiones dejectionesque ab ingestis rebus venenatis et valde irritantibus nonnunquam obseruatae, vbi etiam viridis humorum ad primas vias delatorum color fuit. Sic Fr. Hoffmanno teste, in ventriculo et intestino duodeno viri, ex arsenici ingestione cholericam affectionem perpessi, seri viridescentis biliosi vltra tres librae deprehensae fuerunt *p*). Et in pueri eadem ratione extincti cadauere cystica bilis aerugi-

noso

l) *Med. rat. syst.* T. IV. P. III. *pag.* 489. 490.

m) *Oper. phys. med. Tom. I. pag.* 258.

n) *Avis au peuple, pag.* 352.

o) *Therapeut. spec. pag.* 275.

p) *Med. rat. syst.* T. IV. P. III. S. II. C. VIII. *obs.* III. *pag.* 508.

noſo colore conſpicua fuit *q*). Poſt ejecta diris cum ſpaſmis craſſiora mucoſa, in lupo, cui napelli radix data fuerat, gryſeus ſubniger et viridis faecum color apparuit *r*). Materiam viridem ſpumoſam multam euomuit felis, cui cl. SPROEGELIVS napelli radicem cum lacte miſtam exhibuerat *s*). Huc etiam referenda ſine dubio eſt meraca illa, quam et mortiferam habuerunt veteres, bilis aeruginoſae, ab elleboriſmo excitata vomitio vel dejectio *t*). Neque hic praetereundas exiſtimo atrociſſimas illas et celeriter atque fere praeter opinionem quandoque natas affectiones, a bonis vtique ſcriptoribus memoratas, quae, quum veneni corroſiui accepti ſequelas aemulentur, ex malo humorum habitu, in lethiferam, qualis toxico eſt, indolem, breui tempore, tranſeunte, deriuari ſolent. Ita omnino GALENVS jam ſenſit, quum phrenitidem, ab HIPPOCRATE deſcriptam, hominis primo ſui morbi die aeruginoſa euomentis, ſymptomaticam haberet, a vitioſo nempe in corpore antea coaceruato humore, ad inſtar veneni lethalis maligniſſimo, excitatam; vbi et *eorum morborum admirandam* dicit *generationem, quonam pacto incommode valentes ſubito inuadat u*), eamque ſimul ex improuiſo incipiente in

demor-

q) *Ibid. Obſ.* IV. *p.* 511.

r) WEPFER *de cicut, aquat. pag.* 178. 180.

s) *Diſſ. ſiſt. experim. cum venen. in animal. inſtitut. pag.* 7. 8.

t) De quibus v. DVRETI *Comment. in Coac.* HIPPOCR. *p.* 481. *l.* 30. *ſqq.*

u) *Comm.* III. *in Libr.* III. *epid.* HIPPOCR. *edit. Froben. Baſil.* 1561. *Claſſ.* 3. *p.* 291. *D.*

demorfis a rabido cane hydrophobia aptiffime illuftrat. Et idem alibi x) *eosdem fieri affectus* pronunciauit, *et a lethalis veneni potione, et a corruptione, quae a corpore ortum habet.* Infignem ideo quoque ob fimilitudinem fymptomatum, quae fponte fubito prorumpentes, fenfim collectos, vel citius qualicunque ex cauffa intra hominem natos virulentos humores fequuntur, et quae a veneno corrofiuo folent oriri, vixque difparem aliquando horum ob funerum conditionem, Fr. Hoffmannvs y) et Hebenstreitivs z) cautam et circumfpectam requiri veneni dati accufationem docuerunt. Ill. Morgagnvs, qui equidem ipfe quoque admittit, a praua fola corporis difpofitione internum aliquando venenum gigni, fimul tamen arduum et periculofum pronunciat, certi aliquid in ejusmodi quaeftionibus conftituere, illius tamen fententiae probabilitatem valde memorabili obferuatione confirmat. De puero nempe refert, febre tertiana macerato, nouiffime diris conuulfionibus confecto, cujus ventriculus et inteftina multam continuerint aeruginofam bilem, vnde fcalpellus attactu infectus colore violaceo fuerit. Eodem dein fcalpello, eadem bile ftillante, in carnem vnius et alterius columbi leuiter impreffo, haud multo poft vterque tremens et conuulfus periit. Quin etiam mica panis, illa admifta

x) *De loc. affect. L. VI. C. V.*

y) *Diff. de cauta et circumfpecta veneni dati accufatione. Halae,* 1734.

z) *Anthropol. forenf. edit. alt. pag.* 523.

miſta bile, a gallo deuorata, hic quoque parem habuit exitum. *aa*) Veri ergo nunc maxime ſimilem ex hiſce varii generis obſeruatis argumentationem ducere licebit, non modo ſerius demum exſpectandos eſſe in dyſenteria et cholera aeruginoſos humores, ſed initio etiam quadoque hos jam vndecunque natos adeſſe, iisque ipſis doloroſis et ſpasmodicis affectionibus anſam praebere poſſe.

§. XIII.

In pluribus etiam variis morboſis, ad acutas non referendis, affectionibus, tum nonnullis quoque breuibus, a febrilium indole diſcrepantibus, tum quibusdam in diuturnis, viridia in primis viis naſci, atque tunc etiam ore aut aluo excuti ſolent. Neque difficulter, ſi harum omnium paſſionum naturam accuratius meditemur, animaduertemus, propius affectum perturbatumque ſyſtema neruoſum ſaepius cum illis conjungi. Notiſſimum eſt, ad manifeſtiora exempla arctioris illius commercii, quod praecordia, et inprimis officinam bilis, *a*) cum cerebro intercedit, vomitus iſtos bilioſos referri, toties poſt capitis grauiora vulnera, et encephali concuſſiones obſeruatos. *b*) Vtque ſatis con-

aa) *De cauſis et ſedibus morborum, epiſt.* LIX. *n.* 16. 18. 21.

a) SCVLTETVS *armament. Chir. p.* 198. tradit, ſe obſeruaſſe, omnes fere capite vulneratos de oris amarore conqueri.

b) HIPPOCR. *Coac. n.* 500. *et* 507. *et aphor.* 57. *B.* VI. CELSVS *de Medicina*, *L.* VIII. *C.* IV. HEISTER *inſtitut. chirurg. P.* I. *L.* I. *Cap.* XIV. §. 11. PLATNER *inſtit. chir.* §. 511.

conſtat, ex ejusmodi violentiis capiti illatis plures in functione neruorum turbas vario gradu excitari, quum et vertigines et ſopores, et conuulſiones, et deliria, et paralyſes ſenſuumque abolitiones ſubinde ſuccedant, ita et, quod maxime mirum, flauum bilis colorem in ſaniſſimis hominibus inde nonnunquam in viridem et aeruginoſum temporis fere momento permutatum eſſe, paſſim legimus. *c*) Neque praetereunda hic eſt agitationis corporum in hominibus nauigationi ſuper mari nondum aſſuetis perpetua fere efficacia. Vertigine et anxietatibus nempe afficiuntur, euomuntque primum ingeſta omnia, dein et aquoſa, poſtmodum bilem flauam, tandem quoque aeruginoſam. *d*) Imo ſimiles aliquando in iis vomitus deprehenduntur, quorum corpora in gyrum acta aut violentiori ad latera motu agitata fuerunt. *Noui puerum*, narrat Perill. van SWIETEN *e*), *robuſtum, octo annorum, dum a ſodalibus*

c) v. SWIETEN *comment. in aphor.* BOERH. *T.* I. *p.* 267. 268. BOERHAAVE *praelect. in inſtitut. med. c. not. Perill. de* HALLER *T.* VI. *p.* 173. 174. *Idem, praelect. de morbis neruorum, p.* 674.

d) De facto conſtat, ait eximius SYDENHAMVS, aegritudinem illam, qua laborant nauigantes, --- in fluctuanti ac irrequieto mari, colluuiem coloris plane herbacei ex hominum vel ſaniſſimorum ventriculo exantlare, vt primum in mare longius ſunt prouecti, quibus tamen ante ſemihoram vltimo elapſam non inerat bilis haec, quam porraceam appellare libet. *Diſſ. epiſt. ad* GVIL. COLE, *oper. T.* I. *pag.* 262. *Genevae.* 1757. Conf. BOERHAAVE *praelect. in inſtitut. med. cum notis Perill. de* HALLER, *T.* VI. *pag.* 173.

e) *Comment. in aphor.* BOERHAAVII, *Tom.* IV. *pag.* 681.

libus in cunas projectus vi retinebatur, a rapido cunarum motu vertigine tenebricoſa correptum fuiſſe, ſequente vomitu bilis aeruginoſae; miſer per aliquot dies poſtea languit. Ad effectus epilepſiae inter alia bilis vomitiones, aluique faeces virides refert magnus BOERHAAVIVS *f*); additque praeſtantiſſimus commentator, vbi hoc Praeceptoris ſui aſſertum illuſtrat, verum eſſe, magnas et ſubitas mutationes generis neruoſi momento temporis bilem ſic mutare poſſe, vnde procul dubio faecum aluinarum viridis ille color ſaepe morbi effectus ſit, non cauſa. *g*) Ex variis tamen cauſis morbi quoque comitialis non poſtremam GALENVS merito habet *humoris, porri ſucco vel aerugini ſimilis, ad os ventriculi colluuiem*, qua demum per vomitum excuſſa leuati fuerint aegri. *h*) Atque haec optime cum illa LOMMII obſeruatione conueniunt: *ſaepe profecto vomitus, praecipue aeruginoſus diſtenſionem neruorum et morbum comi-*

f) *aphor. de cognoſc. & curand. morb.* §. 1077. Et mirum eſt inprimis, ait idem in *praelect. de morbis neruorum, pag.* 674. quod faex aluina, quae epilepticis exprimitur, fere ſemper ſit viridis. De viro refert Ill. MORGAGNVS *de cauſ. & ſed. morb. epiſt. XXX. n.* 4. qui poſt aliquos febris tertianae duplicis paroxysmos, primum materiem colori aquae, in qua chocolata ſoluta eſt, ſimilem, ad libras fere ſexdecim, dein ſubortis pluribus epilepticis paroxysmis, materiem porraceam ſaepius euomuit.

g) *Comment. in aphor.* BOERHAAVII, *Tom.* III. *pag.* 429.

h) *De locis affectis, L. V. cap. 6. et meth. med. L.* XIII. *Claſſ.* VIII. *p.* 159. A. Conf. quoque HENR. IOS. REGA *de ſympathia*, pag. 78. 79. et SAVVAGES *noſol. method.* T. II. P. II. p. 77.

comitialem et profundum soporem, veluti quadam judicatione, finiunt. i) Simillimam in quibusdam adolescentibus conditionem se obseruasse, Ill. PRAESES me certiorem fecit, quibus, cum oris amarities et vertigo, et ἀνορεξία, et anxietas, epilepticos paroxysmos alias praecesserint, dein plures auertere licuit insultus, excussa, pharmaci ope, colluuie amara et aliquando quidem manifeste porracea, cui et acidum saporem ipsi aegri, de illo interrogati, plane denegarunt. Exemplum quoque memorabile de vomitione maxime proficua copiosae bilis viridis, in femina conuulsionibus frequentissimis et vehementioribus obnoxia, quae incassum tentatis antea optimis antispasmodicis, fere solis demum emeticis sanabatur, legitur apud WHYTT. *k*) Etsi autem ejusmodi plura non desint obseruata, quae bilis varie viridis vitia grauiores praeiuisse neruorum morbos doceant, satis tamen de multis palam liquet, eam fuisse euentus rationem, vt sine re isto alienato colore infecta bilis pro malae passionis causa haberetur. Facile hoc vlterius confirmant, quae de mutatis primae regionis humoribus, ita vt virides et nigricantes in cadaueribus reperti sint, a veneno arsenicali, cicutae aquaticae radice, cocculis, aliisque, deglutitis, vbi nempe ipsa ejectio per spasmos impedita fuerat, a WEPFE-

RO,

i) *obseru. medic. pag.* 147.

k) *Beobacht. über die Nervenkrankh. pag.* 356. *not. q.*

RO, *l*) MEADIO *m*) pluribusque referuntur. Quanta etiam ſit animi perturbationum in mutanda bilis craſi et colore poteſtas, nimis certe frequente obſeruatione facile compertum haberi poteſt. *n*) Elegantiſſime inprimis et accurate praecipuum illud irae et excandeſcentiae cum bilis indole et motu commercium, plura per exempla demonſtrauit acuti vir ingenii JOH. NIC. PECHLINVS. *o*) Vt vero ipſam atram bilem, a cujus certa ſpecie aeruginoſam proxime abeſſe ex plurimis veterum obſeruatis conſtat, *p*) vehemens exercitatio mentis, et animi motus magni producere valent; *q*) ita nec dubitari poterit, aeruginoſam ipſam iisdem ex cauſis naſci poſſe. Etiam poſt irae furias vireſcentem atque porraceam bilem vomi ſe vidiſſe teſtatur praeſtantiſſimus LORRY, additque, et in ſubito animi moerore flaueſcere atque vireſcere vultum ſatis frequenter viſum eſſe. *r*) Ex grauibus animi affectionibus

l) *In cicut. aquat. hiſtoria.*

m) *Expoſit. mechan. venenor.*

n) HENR. ALB. NICOLAI *de direct. vaſor. pag.* 105. in HALLERI *collect. diſſ. anat.* T. II. *p.* 548. Conf. LAMBSMA *ventris fluxus multiplex*, *p.* 77. 78.

o) *Obſeru. phyſ. med.* L. III. *obſ.* XXV.

p) DVRETVS *comment. in coac.* HIPPOCR. *paſſim*, *vt pag.* 86. *lin.* 61. *pag.* 193. *lin* 44.

q) BOERHAAVE *aphor.* §. 1093. *et van* SWIETEN *T.* III. *pag.* 465. *ſeqq.*

r) *De melancholia et morbis melancholicis*, *T.* I. *pag.* 302.

nibus natam et copioſa bilis porraceae vomitione ſublatam apoplexiam in ampliſſimo Argentoratenſi ſene refert HENR. ALB. NICOLAI. *s*) Virum memorat Ill. MORGAGNVS grauibus diſtentum cogitationibus, qui poſt capitis et praecordiorum dolores, nec inſalubri neque nimio ingeſto cibo, nec vllo in viuendi norma graui admiſſo peccato, per aluum et per os multam viridem materiam ejecit. *t*) De ſtudioſo, ſolitudinis amante, natura ſua facile iraſcente, idem Vir grauiſſimus refert, illum, cum optime, vt ſolebat, valeret, nulla omnino praeuia cauſa, niſi quod patrem animam agere tunc ſciebat, triſtemque ejus mortis nuncium aegro animo exſpectabat, repente acerbo correptum abdominis dolore, breui poſt inſequente vomitu bilis porraceae, quae dein aeruginoſa facta eſt, et demum prope mortem atrae, ſic vt ad ferrugineum vergeret *u*).

§. XIV.

Quemadmodum nemo facile artis noſtrae rudimentis inſtructus dubitauerit, in quouis dolore neruos pati, eodemque acriori plures irritabili natura conſpicuas partes ex conſenſus lege peculiari, in functione ſua perturbari, atque deliria et ſpasmos

varii

s) *Diſſ. de direct. vaſor. pag.* 106. 107. *in* HALLERI *collect. diſſ. anatom. T.* II. *pag.* 549.

t) *De cauſſ. et ſedib. morb. epiſt. XXIX. n.* 18. 19.

u) *Ibid. epiſt. XXXV. n.* 2.

varii generis inde naſci poſſe; ita et cum reliquis noſtris aſſertionibus probe id conſentit, quod ſaepius tunc viridium primis ex viis ejecta, vel in funeribus ibidem haerens, colluuies obſeruata *a*) ſit. Quod ipſum quidem nonnullis jam propoſitis in exemplis, manifeſte patuit, in torminibus nempe atque dentitione infantum, in cephalalgia vehementiori acutis cum febribus, praeſertim phreniticis, conjuncta, in moleſtiſſimis etiam, de quibus cholera et dyſenteria afflicti conqueri ſolent, inteſtinorum doloribus, aliisque paſſim, plurium in morborum relatione memoratis; committere tamen non potero, vt quorundam, peculiarem ob indolem ſeorſim notabilium, omnis mentio hic plane deſideretur. Ejusmodi autem dolorum genera intelligimus, de quibus certius vel ſaltim non ſine probabilitate conſtitit, acidum quoddam in ventriculo ſubeſſe, idemque viridium expulſorum generationi, craſin bilis mutando, anſam dediſſe. Vti pluribus et probabilibus argumentis frequentiorem diatheſin corporum, podagrae cruciatibus obnoxiorum, ad acidam vel acidae affinem acrimoniam, qualis et inter praecipuas morbi cauſas locum haberet, magni nominis Medici adſtruxerunt, *b*) ita

a) Acute rem DVRETVS expreſſit *comment. in Coac.* HIPPOCR. *p.* 340. *lin.* 26. aſſerens, *dolorum acerbitatem cum vigiliis conjunctam foeturam eſſe feraciſſimam bilis aeruginoſae.*

b) Conf. *v.* SWIETEN *comment. ad aphor.* BOERH. *Tom.* IV. *p.* 293. *ſeqq. et* HOFFMANNVS *med. rat. ſyſtem. T.* IV. *P.* II. S. II.

quoque facile ideo quis admiſerit, ab acido, vel vnice vel ex parte ſaltim, viridem forte incidentem ejectorum colorem dependere. Memorabilis omnino eſt illa, quae multum roboris huic ſententiae largiri videtur, obſeruatio: Quum podagricus dolor in Chirurgo quodam Anglo tanta ſaeuiret cum vehementia, vt vix mentis ſuae compos maneret, vno momento ille pedem ejus vtrumque dimiſit, et ſuras aequali acerbitate occupauit; ſed inde quoque poſt dimidium horae minutum, liberatis nunc ſuris atque pedibus, ad femora tranſiit, et poſt alterum minutum, relictis femoribus, adſcendit in inteſtina, atque tandem quoque ad ventriculum, ibique plane terminabatur vomitu liquidi aquoſi virideſcentis acidi, et adeo acris, vt cum fortiſſimo acido minerali conferri potuerit. *c*) Quomodo vero

S. II. *C.* XI. Qui & §. *XI.* de viro refert, cui color annuli ex mercurio, venere ac tutia confecti, in liuidum et nigrum tunc ſponte mutatus paroxyſmos propinquos ſemper ſignificauit. Aſſerit quoque cl. COSTE *in Traité pratique ſur la goute, p.* 23. ſudorem podagricorum purum argentum fuſco et nigricante colore inficere Conferri de his mereretur *van* SWIETEN *Tom.* IV. *p.* 329. Celebris etiam ille Commentator Hippocratis, MARTIANVS, *doloribus*, inquit, *arthriticis, ob acorem in ventriculo peccantem, multos liberatos vel leuatos fuiſſe, vbi acida euomuiſſent.*

c) *Medical Obſerv. and Inquiries vol.* I. *p.* 41. *et ſeqq.* Obſeruauit quoque FR. HOFFMANNVS in viro ſalutares vomitus, qui paroxysmos plerumque praeceſſerunt, liquaminum acidorum valde corroſiuorum, quae et dentes ſtupefaciebant, & pauimento immiſſa ebulliebant, quibus aliquando deficientibus, grauiores paroxysmi ſucceſſerunt. Ejusmodi autem vomitus

ro cunque talia etiam contingant, eo tamen minus in acidi efficacia ad viridem ejectorum colorem hoc in morbo explicandum licebit ſubſiſtere, quo probabilius etiam de ſpaſtica ejus morbi indole atque de affecto ſimul ſyſtemate neruoſo, variis ex rationibus atque obſeruatis conſtat. *d*) Non diſſimilis indolis eſſe videntur calculoſorum virides vomitus, nonnunquam obſeruati, quosque DVRETVS etiam ex doloris nephritici multum adaucti continuata ſine remiſſione acerbitate, quam vigiliae comitantur, deriuare non dubitauit. *e*) Et inprimis memorabile dictum apparet Hippocraticum, quod omnino de calculoſis intelligendum eſſe, ipſa, quae ſubjuncta ſunt, verba facile probant. *In renem dolore graui incidente, quum implentur cibo, vomunt pituitam, quum vero redundarint dolores, aeruginoſa.* — *Soluuntur autem — quum arenulae fuluae ſubſident. f*) Rationem tradit GALENVS *ob dolores ac vigilias corruptum ſanguinem, idque maxime, cum vna febricitauerint et inedia macerati fuerint. g*) Verumtamen, etſi quidem ex hiſce ſententiis neruorum irritamen-

mitus frequentius virides fuiſſe multi referunt, *v. Med. rat. ſyſt. T.* IV. *P.* II. *S.* II. *C.* XI. *obſ.* VI. *p.* 546. Mitigati etiam per vomitum aeruginoſum paroxysmi podagrici exemplum habet ROLFINCCIVS *conſil. med. pag.* 804.

d) *van* SWIETEN *comment. T.* IV. *pag.* 331. et FR. HOFFMANN *l. c. p.* 505. *ſeqq.*

e) *Comment. in Coac. Hippocr. p.* 471. *lin.* 50.

f) *Epid. L.* VI. S. I. *Lind. T.* I. *p.* 796.

g) *Comment.* I. *in L.* VI. *Epid.* HIPPOCR. *Edit. Froben. T.* II. *Cl.* III. *p.* 304. *E.*

to viridium rejectorum origo maxime tribuenda videatur, eſt tamen quod dubites, vbi diatheſin ad calculi generationem acido praeſenti maxime fauere, *h*) et inſignem, quae arthritidem atque calculoſam paſſionem intercedit, affinitatem perpenderis. *i*) Si vero vllo in morbo manifeſta poteſtas ingeſti acidi copioſioris in excitando viridi ejectorum colore deprehendi poteſt, omnino ea eſſe videtur diriſſima doloris ejus colici ſpecies, quem Pictonicae colicae cognomine diſtinguere plerique nunc ſolent, quamque ipſam ſpeciem eximius HVXHAMVS Damnonienſibus quoque familiarem deſcripſit. *k*) Jam ante CITESIVM *l*), qui memorato nomini primus anſam praebuit, FERNELIVS, *m*) SPIGELIVS, *n*) BALLONIVS, *o*) CAR. PISO, *p*) SENNERTVS *q*) et plures ex acido auſteris et acrioribus vinis alioque ſimili potulentorum genere oriundae hujusmodi colicae mentionem fecerunt, quae illi Damnoniorum HVXHAMI, pomaceo eam vino, ex

h) *vid. Cel.* GAVBII *inſtitut. pathol.* §. 578.

i) vid. Diſſ. inaug. quam paucas ante hebdomades Ill. PRAESES meus habuit cum cl. PHIL. WILH. RVPP *de cognatione inter arthrit. et calculum.*

k) *Opera omnia edit.* REICHELII, *T.* III. *p.* 54.

l) *De nouo et populari apud Pictones dolore colico bilioſo, cum opuſc. med. edit. Pariſiis,* 1739.

m) *Pathol. p. m.* 420.

n) *De febre ſemitertiana, L.* 4. *cap.* 13. 14.

o) *Conſ. med. L.* I. *Conſ. V. edit.* TRONCHINI, *T.* II. *pag.* 17.

p) *Obſeru. et conſil. S.* IV. *C.* II.

q) *Practicae L.* III. *part.* II. *S.* II. *C.* II.

ex pomis agreſtibus et acerbis expreſſo, nec fermentato probe nec defaecato, tribuentis, videtur ſimillima fuiſſe. Et hic ipſe praeſertim obſeruator exactiſſimus frequentiſſimum huic morbo vomitum porraceum, vel aeruginoſum, vel atrum quoque retulit accidere, quo bilioſi humores valde acidi ejicerentur, *metalla ipſa corrodentes*, *et in pauimento haud aliter quam effuſo ſpiritu vitrioli*, *bullientes.* Neque vero ea eſt magni hujus Medici ſententia, ſanae in his aegrotis bilis colorem ab acido in primis viis praeſente in viridem demum mutari, verum et praecipue ab infecta ſimul ſanguinis maſſa, illo jam acritatis pariter atque coloris vitio praeditam bilem in hepate ſecerni debere, tum variis argumentis tum obſeruatis quoque comprobat. *r*) Quae inter maxime notabilis eſt ſudor acidum ſpirans, morbumque leuans; mirumque valde phaenomenon illud obſeruatae ſaliuae colore viridiſſimae, qua etiam ita penitus tincti fuerant fauces ac dentes, quaſi aerugine obducti eſſent. *s*) Eo vero certius crudelis acidi hoc in morbo poteſtas apparet, quo grauiora neruorum pathemata, conuulſiones ſcilicet, veraeque epilepſiae, deliria et paralyſes tunc addere ſe ſolent, quum acria non excernantur. *t*) Attamen, quantum etiam cunque iſta

r) *opp.* T. III. *p.* 65. *ſeqq.* Conferri merentur TH. GLASSII *comment. de febr. p.* 126. *ſeqq.*

s) *opp.* T. III. *p.* 13.

t) *ibid. p.* 56.

viridium in praecordiis generationi ex acido faueant, ne tamen nimis, justoque vlterius ea humorum conditio ad colicas atrociores, Pictonicarum etiam nomine comprehensas, extendatur, cautio singularis requiri videtur. Siquidem et illi, qui ex aliis longe caussis, veluti febrium reliquiis, arthritica aut rheumatica materie, impedita perspiratione, scorbuto, mentisque perturbationibus, secundum illustres inprimis TRONCHINVM u) ac de HAEN, x) similibus affecti colicis fuere, porraceis quoque et aeruginosis vomitionibus obnoxii reperiantur, quas tamen, sine hypothesi minus probabili assumta, nequaquam acido in vniuersum tribueris. Vtque nec illa GRASHVISII colicae, quam descripsit, Pictonicae medendi ratio, acida etiam, alumen scilicet martisque vitriolum, praestantiora inter auxilia requirens, y) generaliori, quam HVXHAMVS defendere videtur, acidorum in hoc morbo noxae respondet, sic etiam, Sydenhamiana secundum obseruata, praesentis acidi suspicio in biliosa et hysterica colica, etiamsi viridia rejiciantur, saepissime plane deficit z).

XV.

Haud magis perpetua, quam in his modo adductis malis, adesse certa quaedam humorum conditio

u) *De colica Pict. C.* VIII. *et seqq.*

x) *Rat. med. Part.* III. *pag.* 115.

y) *In tentam. de colica Pict. append.*

z) *oper. vniu. edit. Lugd.* 1754. *pag.* 212.

ditio apparet in veriori hypochondriaca et hyſterica affectione, quo nempe ſenſu has voces a Willisio, *a*) Ridleio, *b*) Sydenhamo, *c*) Flemyngio, *d*) Swietenio, *e*) Morgagno, *f*) Whyttio, *g*) Trallesio *h*) aliisque, vſurpatas eſſe conſtat. Ipſa quidem neruoſi generis integri mobilitas et perturbationes variae facillime fractas ſiſtunt vires ad bonam alias chylopoieſin et ad ſecretionum integritatem neceſſarias. Non ergo mirum, ex ingeſtis, quae certe maximam partem, vbi ad ill. Pringlii etiam experimenta reſpiciamus, in acidam inclinare fermentationem conſtat, ejusmodi officinae chyli vitia ſe his in aegrotantibus facile exſerere, quae acidi vario ibidem gradu extricati praeſentiam declarent; ad quae ipſa praeſertim cum ructu aut vomitu adſcendentis e ſtomacho acidi perceptio in lingua, illis aegris non infrequens, pertinet. Fieri hinc aliter vix potuit, quum viridia in hyſtericae et hypochondriacae affectionis variis paroxysmis excuti non raro quidem obſeruentur, nec alia etiam deſint poteſtatis acidorum

a) *Pathol. cerebri p.* 68. *et ſeqq. oper. omn. edit. Amſterd.* 1682.
b) *Obſ. med. pract. obſ.* 17. *p.* 71.
c) *Diſſ. epiſt. ad* GVIL. COLE, *p.* 387, *et ſeqq. edit. cit.*
d) *De neuropathia ſiue de morbo hypoch. et hyſt. Amſterd.* 1741.
e) *Comment. in aphor.* BOERH. T. III. *p.* 482.
f) *De cauſſ. et ſedib. morb. ep. XLV. n.* 17. *p.* 206.
g) *Beobacht. über die Nerven-hypoch. und hyſt. Zufälle.*
h) *Vſus opii Sect.* III. *pag.* 47.

in excitando illo bilis colore argumenta, quin Medicorum permulti ex acritate illa viridem ejectorum colorem deriuauerint. Immo nullo quoque vacare dubio exiſtimare potero, in ipſa vomitu excuſſa materie viridi aliquando aciditatem ineſſe, cum ſapor et quidem ſatis manifeſtus, et ſtupor dentium conjunctus, eandem comprobent. *i*) Nolim tamen vniuerſalem eam legem amplecti, quam HVXHAMVS, vbi SYDENHAMO de his morbis tractanti contradicit, propoſuit, plane nunquam nempe viridem ejusmodi in affectionibus bilem euomi, niſi acidum in praecordiis dominetur. *k*) Neque ita conjungerem conditiones humorum ejectorum, prout verba in accuratiſſimo ceteroquin libello cel. HOME aphoriſtice expreſſa traduntur, *vomitum* ſcilicet accedere *materiae acidiſſimae, vel bilis viridis. l*) Vt vomitum materiae manifeſte acidae et ſimul bilioſae flauae in nonnullis, ita quoque in aliis bilioſi humoris omnino viridis et plane non acidi ſe obſeruaſſe, et quidem ad ſententiarum diuortia tunc probe attentum, mihi retulit Ill. PRAESES. Quod ipſum quoque non modo aliis multis cum exemplis affe-

i) *Hiſt morb. Vratisl. edit.* HALLERI, *pag.* 23.

k) *De col. Damnonior. oper. omn. edit. antea cit.* T. III. *p.* 69. Haec ipſa etiam complurium aliorum ſententia fuit, pathologiae praeſertim acidae fauentium, de quibus conferri meretur cel. TRALLES *de abuſu medicament. terreor. C.* III. *p.* 28. *ſqq.* FR. HOFFMANNVS idem tradit *Med. rat. ſyſt.* T. III. *p.* 329.

l) *Princip. med. edit. tert. Amſterd.* 1766. *pag.* 223. §. 5.

affectionum hiſce morbis affinium optime conſentit, verum etiam adſertione repetita ſummi obſeruatoris, diuini SYDENHAMI, maxime confirmatur. Inter alia, hac de re propoſita et omnino momentoſa, magnus hic Vir tradit: *non magis ſequitur ea, quae colore viridi ſunt, acria eſſe omnia, quam omnia quae ſunt acria viridi eſſe colore. Quin etiam*, docet, *in violentiori affectu hyſterico, a pharmacis, tam emeticis, quam catharticis frequentius propinatis, vberior materiae viridis naſcitur ſeges. m*) Et alibi: *ſubtilior eſt atque minutior colorum ſpeculatio, quam vt euacuationibus, quas ipſo facto nocentes deprehendimus, auctoritatem conciliare valeat. n*) Perill. etiam van SWIETEN ad refellendam eorum ſententiam, qui ab acri praeſente bilem virideſcere autumant, hac ſimul vtitur obſeruatione: *in hyſtericis mulieribus, a ſola animi perturbatione ſubita, bilis aeruginoſae vomitum fieri.* Detracto alimento, quo facile grauiter affligi hyſtericas quotidiana docet obſeruatio, ſolam per inediam, aeruginis naturam bilem aſſumere BALLONIVS docuit. *o*) Vehementiam famis hyſtericis aliquando moleſtam, ſine ventriculi acriori ſtimulo, quem praeſens acidum exerceret, oriri, et aliis cum ſymptomatibus alternas vices ſeruare poſſe,

m) *Diſſ. epiſt. de affect. hyſt. et hyp. oper. vniu. p.* 397.

n) *De colica billioſa anni* 1670 - 72. *oper. vniu. p.* 215.

o) *Conſil. med. L. III. conſ. LXXX. edit.* TRONCHINI, T. *III. p.* 452.

poffe, bene tradit harum rerum expertiffimus Whyttivs *p*). Ex his ergo, arbitror, fatis elucefcit, vt nequaquam perpetuo adfit in hyftericis, quod pro conditione neceffaria multi poftularunt, acidum, nifi forte latens et intricatum affumere placuerit, ita nec idem femper deficere, cui aliquam in mutando bilis colore culpam attribuere liceat.

§. XVI.

Expofitis nunc praecipuis, mea quidem fententia, conditionibus, quae, fecundum obferuata certiora, cum viridium in corpore natorum vomitione atque dejectione frequentius conjunctae effe folent, quarumque aliquam, his contingentibus, non temere licet fufpicari; propius etiam quodammodo mutati hujus coloris origo a nobis erit confideranda, quoad hoc ipfum experientia duce fieri poffe videbitur. Vix erit, qui dubitet, a bilis mutato colore ipfam totius ejectae materiae viriditatem, vbi nullam color ingeftorum culpam habuerit, vnice repetendam effe, atque ideo fuperfluum plane fore exiftimo, rem, quae confentientes cum veteribus recentiores omnes, quantum noui, obtinuit, argumentis confirmare. Et fi quis modo meditetur materiei viridis vomitu excuffae amaritiem, lingua plerumque percipiendam, atque tenefmum vel tormina

p) *von Nervenkranckh. pag.* 181.

mina ſimilium dejectioni ſeſe adſociantia, praeterea minus aptam alius praeter bilem humoris, qui colore hoc originarie imbueretur, indolem, tandem etiam deprehenſam in cadauerum fellea cyſtide bilem ejusmodi, quae cum reliqua colluuie viridem colorem facile communicare potuerit, eum haud arbitror alium hujus viridis vomitu aut aluo excretorum coloris, quam a mutata bile, ortum probabilem habere poſſe. Inde et ſimpliciter bili veteres, inter porraceam, iſatoden et aeruginoſam diſcrimen ſtatuentes, varios hoſce viredinis gradus illi ipſi tribuerunt, quos in excretis deprehenderunt. Iam fieri quidem poſſe, inficiari non auſim, vt ſana et naturali praedita colore bilis, talisque ad inteſtinum duodenum delata, hic demum viridem acquirat colorem, ſiquidem et hic euentus varia per experimenta probabilis omnino reddi poſſit; attamen quum et frequens obſeruatio docuerit, bilem profundius viridem vel atram in veſicula fellea poſt mortem iis in corporibus repertam eſſe, quae in vita vomitu vel ſucceſſu pari modo colorata ejecerant; vomitus etiam variis in morbis biliofos primum flauos, dein porraceos, poſtea aeruginoſos, tandem et aliquando atros ſibi ſuccedere; atque praeterea certe rariores eſſe viridium praeſertim profundius tinctorum excretiones, niſi cum neruoſum genus propius affectum perturbatumue ſit; denique et flauas vomitiones occurrere ſimul vere

aci-

acidum in lingua faporem excitantes; minus omnino frequentem viridis hujus coloris in primis viis, quam in ipfa jam cyftide, incipientem generationem ifta videntur confirmare. Qui experimenta cum bile, admiftis varii generis falibus fimplicibus inftituerunt, vix non in vniuerfum ab acidis illam viridefcere adnotarunt. Haud parum interea a veri obferuatione aberraffe nonnullos, etiam quibus alias fides fumma habetur, dum ipfa phaenomena fe ajunt recenfere, quae acida bili admifta produxerint, propriis omni ftudio captis periculis edoctus exiftimat Ill. PRAESES. Sic tradunt praefentis alcalici falis in bile figna praebere, praeter virefcentiam cum violarum fyrupo *a*), etiam ejus cum fpiritibus acidis efferuefcentiam *b*). Verum vt ex coeruleo illo fyrupo non alius in bile color obferuatur, quam qualem in alio pariter flauo liquido femper licet exfpectare, ita plane nihil vllius ebullitionis aut efferuefcentiae ab acidis fpiritibus in bile excitatum deprehendit, ad haec follicite attentus Ill. PRAESES.

Varia

a) FR. HOFFMANN *med. fyft.* T. I. *p.* 283. VERHEYEN *anat.* T. II. *p.* 90. Cel. SPIELMANN *in litt. ad Perill. de* HALLER, *vid. hujus elem. phyfiol.* T. VI. *p.* 552. Recte negauit hunc euentum cl. RAMSAY *diff. de bile, Edimb. habita* 1757. *p.* 5.

b) HOMBERG *Mem. de l'Academ. des fc. de Paris* 1709. *p.* 360. BAGLIV. *oper. p.* 429. 437-439. DIEMERBROECK *anat. C. H. p.* 80.

Varia quidem de ſuis experimentis Vir experientiſſimus mecum communicauit, ſed prolixum nimis foret illa hic ipſa inſerere, etiamſi lubenter permitteret; difficillimum vero et ambiguum fore tentamen exiſtimo, conſectaria ſaltim ex illis hoc loco tradere, ſine iis experimentis praemiſſis. Suffecerit ergo, Illum quidem a meracis ſpiritibus acidis mineralibus coagulum in ea parte bilis, in quam delapſae guttae ſpirituum inciderant, obſeruaſſe, quod filorum inſtar craſſorum et flauorum fundum vaſis petit, reliqua parte bilis diu integra manente; et ſi tum agitatio ſuſcepta fuerit, perſpicuitatem totius liquidi deleri, dein vero craſſiorem denſioremque maſſam deorſum labi, redeunte ſenſim in ſuperiore parte, nunc tenuiori et manifeſtius aquoſa, majore pelluciditate. Coagulum quidem initio flauum eſt, ſed facta concuſſione, viridis color tum in toto mixto, tum quoque dein, facta ſeparatione, in ſubſidente maſſa et in aquoſo liquido ſuperiore deprehendi ſolet. Similia obſeruantur ab aliis acidis puris ſatisque concentratis, vbi major illorum copia fuerit affuſa, non autem a debilibus, atque minus euolutis. Vt vero nequaquam viriditas mixti vario acoris gradui reſpondere ſolet, ſiquidem v. gr. a nitri ſpiritu profundior quam ab omni alio, etiam vitrioli oleo, viredo excitatur; ita ſaepe nec vllus quidem viridis color, vbi alia plura, vt panis micae, jus carnium, pinguedines,

etc.

etc. accesserint, ab ipsis mineralibus acidis oriri obseruatur. Aliquando jam viridis est, et manifestissime quidem, bilis bubula et aliorum animalium recens, ceterum integerrima. Spiritus quoque salis ammoniaci vrinosus bili admixtus aliquando viredinem satis profundam excitauit, quod ipsum ETTMVLLERVS etiam se animaduertisse retulit c). Verum desisto ab vlteriori enarratione periculorum ab Ill. PRAESIDE captorum, quae Ipsum ornatius et plenius traditurum fore spero. Satisque ex his jam constare existimo, minime certam haberi posse argumentationem ex viridi ejectorum colore, ad acidi eminentis atque acrimonia sua nocentis praesentiam. Lubens concedo veritatem experimenti, quod FR. HOFFMANNVS refert, nempe in faecibus infantum viridibus ab instillato oleo tartari per deliquium flauum colorem restitutum nonnunquam obseruari d). Largior etiam eo aliquando virulentiae acrioris excrementa processisse, vt illa non tantum lintea, sed et aenea vasa, quibus excepta sunt, arroserint e). Neque in dubium vocare ausim, in pauimento terreo materiam aeruginosam vomitu excussam veram spumam, ac si efferuesceret, concepisse, qualem euentum plures memorarunt

c) *oper. omn.* T. II. P. II. *p.* 152. *b.*

d) *Med. Syst.* T. IV. P. V. *suppl. p.* 37.

e) Cel. TRALLES *exam. rigor. de medic. terr. vir. p.* 335.

ſunt *f*). Attamen, vt haec generalem viridium in corpore natorum qualitatem definire haud valent, ſic etiam contrarium illis phaenomenon ex VALSALVAE obſeruatione, ab ipſo refertur ill. MORGAGNO *g*). Quum nempe binae portiones aeruginoſae materiae, in ventriculo cadaueris cujusdam anus repertae, et ejusdemmodi quidem qualis per vomitum ejecta fuerat, explorarentur, affuſo alteri ſpiritu vitrioli, alteri vero illo ſalis ammoniaci, nullam tunc bina liquida commixta mutationem oſtenderunt, mox tamen prima portio ſedimentum quoddam in fundo habuit, ſecunda nullum. Vnica ergo hic obſeruata mutatio eadem ipſa eſt, quam et in ſaniſſima quauis bile ex addito vitriolico acido quisquis facile animaduerterit. Veriſſimum quoque eſſe Ill. PRAESES mihi retulit, non ideo magis virideſcere ſolere dejectiones aegrorum, grauibus acutis, inprimis bilioſis, febribus laborantium, quum larga mineralium acidorum copia ſecundum bonae methodi leges propinata fuerit. Et in ejusmodi morbis, etiam cum viridia ſponte excernuntur, acida maxime conuenire ſummi Viri HVXHAMVS *h*) atque

f) Conf. DEGNER *de dyſent. bilioſ. contag. p.* 111.

g) *De cauſſ. et ſedib. morb. epiſt. XVI. n.* 8.

h) *opp. T. II. p.* 110. *T. III. p.* 70.

atque TISSOTVS *i*) pluresque docuerunt. Quoad nunc autem vlterius ab acido bilis viriditatem excitante receſſeris, multo etiam magis abſtruſam atque penitus reconditam hujus in illa coloris originem eſſe lubenter largieris, niſi forte hypotheſibus a certo remotioribus locum conceſſeris. Docuere quidem ſatis, quae ſuperius allegauimus, obſeruata, viridem illum bilis colorem ſaepe putridam humorum diatheſin, frequentiſſime vero propius affectum et perturbatum neruoſum ſyſtema comitari *k*), prioremque conditionem tunc praeſertim, vbi et poſterior conjuncta ſit, ad illam bilis mutationem ſufficientem apparere; attamen qua vere ratione ille color, num certo quodam ſpontaneae corruptionis modo *l*), vel irritamenti, quod neruos afficit, peculiari efficacia excitetur, in occulto etiam nobis adhuc jacere, quam lubentiſſime profitemur. An abſconditum quoddam humores acidum tunc fouent, quod poſt complures alios, iis admixtum eſſe, at-

que

i) *De febre billoſ. Lauſann p.* 28.

k) Conferri de hac doctrina quoque meretur Cel. LORRY *de melancholia, T. I. p.* 24 . 244.

l) Nonnihil hoc illuſtrari videtur experimento WILLISII, quod BIANCHI affert *hiſtor. hepat. T. I. pag.* 175. *flauam nempe bilem e cyſtide ſua exemptam et cucurbitae inditam, ſi leni M. B. calori exponatur, breui vireſcere, at poſtea inſtar atramenti nigerrimam apparere.*

que certioribus quibusdam ſignis ibidem adhuc propriam ſibi efficaciam exſerere poſſe, cel. Lorry probabilibus argumentis adſtruxit *m*)? An forte, quam conjecturam et ad Boerhaavii *n*) atque Flemyngii *o*) aliorumque mentem facere liceret, ab admixtione certa neruoſi fluidi, vel integri, vel vitiati, ad humores praecordiorum, aut bilem ſolam, hujus atque totius colluuiei ſaepius ejectae viriditas deriuanda? Definire aut ſuſtinere horum neutrum audemus, ipſa praecipua medicarum rerum magiſtra, praeclara nempe illa duce experientia, ad eorum quid confirmandum vel rejiciendum nondum ſatis inſtructi.

§. XVII.

De prognoſi viridium excretionum pauca ſubnexuiſſe ſuffecerit, quum non modo plurima ex praecedentibus jam liquere, ſed inprimis etiam, quod ad ipſa obſeruatorum dogmata, quae quisque vel propria diues experientia, magni aeſtimare ſolet, mihi nihil fere addendum ſupereſſe exiſtimem. Aliquam ex allatis, viridi cum bile conjungi ſolitis

 cor-

m) *Libro alleg. pag. 252. ſeqq.*

n) *Praeleƈt. in inſtit. ex edit.* HALLERI, *T. I. pag. 264. 265. 372. T. II. p. 396.*

o) *De neuropathia; diſſ. epiſt. praemiſſae pag. 34 - 37.*

corporis conditionibus, fiue acidum primis in viis praefens, fiue putridam humorum diathefin, fiue validius vndecunque laceffitum neruofum fyftema, fiue quoque horum varia fimul, fufpicari conueniet, vbi color ifte, absque viridium ingeftorum culpa, in ore aut aluo excuffis deprehendatur; tunc vero ex integra omnium affectionum fyndrome cognitio futurorum probabilior haurienda erit. Maxime diuerfis ergo, quoad varia morborum genera horumque tempora, praefagiis ifta excretionum vitia anfam praebent, inprimis tamen ob functiones neruofas grauius laefas aut perturbatas metum incutere valent. Hinc fi febrilibus in acutioribus morbis, maxime vbi fpaftica varia et grauiora fymptomata jam adfuerint, praefertim propius ad illorum ἀκμήν, incidant vomitus porracei, aut aeruginofi, vbique fere, praeeunte HIPPOCRATE *a*), fummum periculum denotant *b*). In morbis haud febrilibus, nifi ex putrida occultiori quadam corruptione mali quid metuendum fit, grauiorem quidem atque difficiliorem affectionem defignare folent, verumtamen non facile valde periculofam, nifi forte morbi cauffa validior, atque fymptomatum infignis atrocia, diutius-

a) Conf. DVRETI *comment. in coac.* HIPPOCR. *p.* 34. *lin.* 42. *p.* 471. *lin.* 11. PROSP. ALPIN. *de praefag. vita et morte aegrot.* *p.* 73. 87. 56. 490. 477.

b) Conf. v. SWIETEN *comment.* T. II. *pag.* 599-601.

tiusque retentae bilis vitioſae copia c) contrarium reddant probabilius. Praeterea vero nunquam non ejus conditionis praecipua quoque habenda erit ratio, vtrum excuſſa vomitu aut aluo materies ſub iis appareat ſignis, quae mali cauſam expelli cum leuamine, viresque ſupereſſe, eam ad corporis expurgationem neceſſarias, indicent, quo ſub ſtatu optima ſaepe ſpes oritur ſecuturae integritatis d); an contra eadem grauioris potius affectionis modo ſequela eſſe videatur, vbi omnino anceps euentus eſt, niſi accuratior ſimul ad omnia etiam reliqua attentio habeatur, quae firmioribus praeſagiis argumentum ſubminiſtret.

In his ergo nunc licebit finem academici mei tirocinii facere, et plane abſtinere ab illa, quae adhuc reliqua videri poſſet, meae tractationis parte, qua nempe ratio hiſce vomitionum atque dejectio-

num

c) Maxime memorabile eſt hac de re dictum HIPPOCR. *de natura hom. oper.* T. I. *p.* 282. LINDENII: *Viridis bilis juxta hepar manens, vbi ſuperebulliit, humani corporis corruptio eſt, et nocuus ac inutilis corporis humani inquilinus.*

d) HIPPOCR. *de vet. med. Cap. XXXIV.* 17. *opp.* T. I. *p.* 34. PROSP. ALPINVS *de praeſag. vita et morte aegrot. p.* 488. 491. Vid. etiam cel. TISSOT. *de febre bilioſa Lauſann. p.* 11.

num vitiis medendi exponi deberet; ſiquidem, cum ad plurima ſimulque difficiliora morborum genera illa diſtribuenda foret, proprium aeque ſuum ob momentum ac inſignem prolixitatem, aptum illi locum hicce conſtitui haud poſſe exiſtimem.

TANTVM.

